PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

DE MATRIMONIO AD NORMAM LEGUM CIVILIUM

Vincentius Brizgys

DISSERTATIO AD LAUREAM

IN FACULTATE JURIS CANONICI

PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

VILKAVIŠKIS — — — — — — — — — — — 1939

[illegible] [illegible]
Rvm. Dr. J. Dabrilai
Antonius
26. 9. 1939.

DE MATRIMONIO AD NORMAM LEGUM CIVILIUM

Typographia „Šešupė“, Marijampolė (Lithuania)

VIDIMUS ET APPROBAMUS

Romae ex Pontificia Universitate Gregoriana
die 10 mensis Octobris anni 1939

P. Felix Cappello S. J.
P. Petrus Vidal S. J.

IMPRIMI POTEST

Antonius Eppus
Episcopus Vilkaviškensis

Nr. 1211

INDEX RERUM

Caput secundum

PRAEFATIO

Ratio particularis tractandi hanc quaestionem

Multo magis praeferrem tractare illas tam pulchras quaestiones, quibus operam dant theologi, praesertim Doctores theologiae asceticae vel mysticae. Illi iam in ipso labore, propter characterem singularem illarum quaestionum, inveniunt magnam delectationem moralem atque spiritualem.

Sed cum in mundo dentur, et quidem abundanter, abusus potentium, tam multa mala moralia, saepe opus est tractandi quaestiones, quae, quamvis sint necessariae (proh dolor), sed minime pulchrae, neminem aedificantes. Ex his non paucis paucum gratis argumentis, qui debent tractari fere sine ulla satisfactione morali, sed solummodo ad malum impugnandum, est etiam quaestio de matrimonio ad normam legum civilium, quod a multis etiam nunc concubinatus, in C. J. C. „matrimonium civile, ut aiunt“ vocatur[1]), cui autem in lingua vulgari tribuitur nomen matrimonii civilis.

Specialis ratio, propter quam tractandam esse iudicavi illam minime gratam quaestionem, est status iuridicus matrimonii in Republica Lithuana. In Republica Lithuana, cuius civis sum, usque adhuc non datur institutio sic dicti matrimonii civilis. In hac regione matrimonia et omnes causae matrimoniales catholicorum reguntur modo differenti ab aliis non paucis regionibus Europae. In Republica Lithuana matrimonia adhuc conservant intactum characterem religiosum atque sacramentalem et reguntur ad normam iuris Canonici.

Matrimonia acatholicorum et infidelium in hac regione reguntur etiam secundum normas uniuscuiusque confessionis.

---

[1]) Can. 188 n. 5°.

Non desunt tamen etiam in hac regione calumniantes matrimonium religiosum et efferentes s. d. matrimonium civile.

Nec defuerunt conatus introducendi s. d. matrimonium civile, usque ad praesens tamen sine exitu. Unanimis catholicorum resistentia huic novitati usque ad huc efficax fuit. Tamen matrimonii sanctitas etiam in hac regione non est extra periculum.

Nemo autem est, qui non iudicet causam sanctitatis matrimonii et familiae dignam esse laboris et sacrificii. His imminentibus periculis motus et ad patefaciendam veram doctrinam de matrimonio tum defendentibus, tum impugnantibus sanctitatem matrimonii in regione Lithuaniae disserui de hac quaestione.

Momentum quaestionis

Fatemur sane, sancta Ecclesia docente, dari alios status sanctiores perfectioresque matrimonio, proinde quaestionesque tractandas plus allicientes corda et mentes doctorum. Tamen etiam fatendum est sanctitatem familiae esse fundamentu omnis vitae et virtutum.

„Sicut populus, sic et sacerdos" (Osse, 4, 9). Et revera, ibi florent status perfectiores, virtutes, ibi nascuntur et formantur sancti, ubi intacta manet sanctitas familiae.

Item status matrimonialis est una ex viis, qua perveniendum est ad ultimum finem longe maiori parti membrorum generis humani.

In familia ex matrimonio nascuntur et formantur membra Ecclesiae, cives status. En ratio, quare de sanctitate et sanitate vinculi matrimonii familiaeque oportet solicitos esse omnes, quibus saltem sub aliquo respectu curae est prosperitas ac salus populi.

Proh dolor, in multis iam regionibus matrimonium et familia spoliata sunt suo charactere religioso per sic dictum matrimonium civile. In nonnullis regionibus celebratio s. d. matrimonii civilis ante verum contractum matrimonialem est obligatoria, ex quo sequitur tyrania moralis fidelium, casus horrendi, quod aliquando pars catholica obligatur lege civili

contra propriam conscientiam cohabitare cum parte athea recusante, post peractam formalitatem civilem, contrahere verum matrimonium.

Matrimonium civile facultativum vel subsidiarium, favens omnibus perversae mentis et voluntatis, fidelibus, est schola indiferentismi religiosi. Populus vero etiam fidelis, propter deffectum cognitionis rerum, difficiliori animo ferrt tributa statui solvenda, quam institutionem, quae appellari potest causa omnium malorum. Item non raro accidit, quod in regionibus, in quibus viget s. d. matrimonium civile facultativum, catholici, non athei aut malae voluntatis, praesumunt inire matrimonium civile. Causa vero eiusmodi agendi est, quod fidelibus non satis nota est sana doctrina de matrimonio, de eius sanctitate etc. Recte dicit D. J. Dermine: „...l'ignorance n'est pas toujours l'innocence. Beaucoup pêchent parce q'ils ne connaissent pas ni la beauté de la vertu, ni la gravité de la faute, qu'ils commettent, et si est helas trop vrai que tant de foyers sont de nos jours contaminés... s'est aussi parce qu'ils profanent ce qu'ils ignorent et comme le dit le suoverain Pontif dans son admirable encyclique „Ubi arcano Dei“, parce qu'on „a vu s'obscursir dans le peuple la conception religieuse du mariage que l'Eglise lui avait inculquer[2]).

Verum est catholicos nostris diebus sollicitos esse de multis aliis gravis momenti quaestionibus, sed nonne sanctitas matrimonii et familiae est maioris momenti prae multis ceteris? Existimamus esse operis pretium loqui multum de hac quaestione tam ad eruditos, quam ad populum.

De quo in hac dissertatione sermo erit

In tractando matrimonio ad normam legum civilium silentio praeteriri potest quaestio de matrimonis non baptisatorum necnon de competentia gubernii civilis in eorum matrimonia. Haec enim quaestio potius spectat ad philosophiam iuris, ad Ethicam, ubi agitur de officis status civilis

---

[2]) L'ábbé J. Dermine. La doctrine du mariage chretien, pg. 14.

erga Deum, erga cives, de concordantia legum civilium cum lege divina — naturali et positiva; vel etiam ad ius publicum, ubi agitur de relatione status civilis ad legem ecclesiasticam explicantem vel declarantem ius divinum.

Tractabitur hic exclusive de valore s. d. matrimonii civilis baptisatorum et hoc sub quadruplici respectu:

a) **relate ad naturam matrimonii,** i. e. dato, sed non concesso, matrimonium baptisatorum non esse sacramentum, vel contractum posse separari a sacramento;

b) **relate ad ius Ecclesiae,** i. e. considerando Ecclesiae naturam et ius, uti in se est, non ut sibi fingunt adversarii, item considerando naturam et characterem contractus matrimonialis baptisatorum;

c) **relate ad rationes pro matrimonio civili,** i. e. considerando varias rationes, quas adducunt fautores huius institutionis ad eam probandam et defendandam;

d) **relate ad effectus ex matrimonio s. d. civili,** i. e. considerando ea, quae vel ipsi fautores huius institutionis simul cum ea institutione proponunt, vel quae ex ipsa, admissa eorum doctrina de natura matrimonii, logice sequuntur, vel quae solummodo postea in vita practica apparent.

His examinatis solvenda erit quaestio, an gubernium civile possit invenire in hac materia solida argumenta vindicandi in negotiis matrimonialibus illam partem, ad quam praetendit per institutionem s. d. matrimonii civilis.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

Fontes:

Sacra Scriptura: Gen. c. c. 1, 2, 4, 6, 7, 16, 24, 28, 29, 41;
Exod. c. c. 2, 4;
Levit. c. 20;
Deutr. c. 22;
Esther. c. c. 2, 4;
Math. c. c. 5, 19, 29; Marc. c. 10;
Luc. c. 16; Joan. C. 8;
I Cor. c. 5, 7; II Cor. c. 6; Ephes. c. 5;

S. Ambrosius: De Abraham 1. 1; Epist. ad Syricium P.;
Epist. XIX ad Vigilium P. L. 14, 16
In Joan. Fr. 9; De nuptiis et conc. P. L. 35, 40, 44

S. Basilius: Exameron. Hom. 7. P. G. 29

S. Cyrillus Alex: In Joanem 1. II P. G. 73

S. Gregorius Naz.: Ep. 193, ad Procopum P. G. 29

Hadrianus: Ep. 44

S. Ignatius: Ad Policarpum P. G. 5

S. Innocentius P. I.: Epist. 36 P. L. 20

Nicolaus P. I.: Epist. 7, 16, 20, 21 P. L. 119

Siricius P. Epist. ad Himeric. Taracon. P. L. 13

Origenes In Math. t. 14 P. G. 13

Tertulianus Ad Uxorem 1. II P. L. 1

Concil. Florent, Decretum ad Armenos. Harduin. Con. t. 9

Concil. Trident. Sessio 24 Mansi, Concilia 33

P. Pius VI. Constit. Arcanum Fidei

P. Pius IX. Syllabus

P. Leo XIII. Encyclica. Arcanum.

P. Pius XI. Encyclica Casti Connubii

„ „ „ „ Divini illius magistri.

Codex Juris Canonici

Auctores:

Abram Paul, L'évolution du mariage. Paris 1908

Archiv für Kat. Kirchenrecht: t. 7, pg. 1 sq.; t. 29, pg. 148 sq., 320 sq.

Aurel M-me. La nouvelle conscience de l'homme et de la femme Bruxelle 1914

Avigdor P. Examen critique de tendences modernes dans le mariage.

Avogadro E. Teorica dell'istituzione del Matrimonio Torino 1853

Bellarminus Card. De Controversiis (De Sacramento matrimonii) Neapoli 1858

— De officiis principis christiani Romae 1619

Bertrand. Le mariage religieux, civil, le divorce.

Billot Card. S. J. De Ecclesiae Sacramentis Romae 1930-32

Blum Leo. Du mariage. Paris 1907

Brandileone. Saggi sulla storia della celebrazione del matrimonio in Italia. Milano 1906

Buchberger. Kirchlicher Handlexikon. Freiburg 1900-11

Bureau Paul. L'indisciplin de moeurs. Paris 1920

Calvinus Joan. Opera omnia v. II. 1. IV Brinsvigae 1864

Cappello F. S. J. De Matrimonio Romae 1933

— Chiesa e stato Romae 1910

— Summa Juris Publici Ecclesiastici. Romae 1932

Cathrein. Moralphilosophie Freiburg-Breisgau 1904

Cavagnis. Institutiones Juris Publici Ecclesiastici Romae 1906

Cicero M. T. De Republica.

— De Officiis.

— De Legibus.

Corpus Reformatorum.

Dermine J. La doctrine du mariage chrétien. Louvain 1927

Dessaulles. Le moeurs de l'Eglise en droit naturel sur le mariage.
Digesto Italiano. Sub vocibus: Contratto, Matrimonio.
Döllinger von (traductio Perrot) La Reform vol. I. Paris 1847
Dominis de M. A. De Republica Ecclesiastica L. V, c. 11
Donat. Ethica. Insbruck 1931
Elter E. S. J. Compendium Philosophiae Moralis. Romae 1934
Esmein. Le mariage en droit canonique. Paris 1929
Faran Louis. Le mariage. Paris 1909
Freisen. Geschichte des Can. Eherechts. Paderborn 1893
Friedberg. Trattato del diritto Ecclesiastico cattolico ed Evangelico. Torino 1893
Friedberg Emil. Die Geschichte der Civilehe. Berlin 1870
Gabba. I due matrimoni civile e religioso. Pisa 1876
Gagliardi Apologia del matrimonio cristiano. Napoli 1869
Gasparri Card. De Matrimonio. Romae 1932
Gerdil-Severoli Card. Ecclesiae iura in matrimonium. Romae 1896
Gricar H. S. J. Luther. Freiburg 1911
Hammerstein S. J. De Ecclesia et Statu Treviris 1886
Heuser. De potestate statuendi impedimenta solae Ecclesiae competi. Lovaniis 1853
Hugon. De Sacramentis. Parisiis 1927
Juglar C. Tableau de naissances
Kavolis. Moterystės juridinė padėtis Lietuvoje. Kaunas 1930
Key E. (traduct. Pegretti) L'amore e il matrimonio Torino 1909
Knecht A. Gründriss des Eherechts. Freiburg 1928

Knoll. Der Begriff der Ehe nach heutigen Recht. Karlsruhe 1913
Krupavičius Civilinės sutuoktuvės. Kaunas 1933
Lacombe. Une critique du mariage du XV siecle Poitiers 1910
Launois J. Opera omnia. De regia in matrimonium potestate. Coloniae 1731
Leconte-Sebastien. Projet de loi. Paris
Lemair R. Le mariage civil. Paris 1901
Liberatore. Del matrimonio Napoli 1900
— Il matrimonio civile considerato nella giurisprudenza. Napoli 1900
J. A. B. L'oeuvre de chaire. Notion philosophique du mariage. Lausanne 1905
Madrazo, Martos, Montero. Discorsos pronunciados en les Cortes constituyentes. Madrid 1870
Martin. De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli propria. Louv.-Paris 1844
Mesnil J. Die freie Ehe. Berlin 1904
Pacifici-Mazzoni. Istituzioni di diritto civile italiano. Editio 1933
Palmieri. De matrimonio christiano. Prati 1896
Pennacchio P. La legge sul divorzio in Italia Roma 1908
Perrone S. J. De matrimonio christiano Romae 1858
Pignatelli. Consultationes canonicae. Venetiis 1722
Pirhing. Jus Canonicum. Venetiis 1759
Regarde de Villeneuve. La crise du mariage et l'union libre. Lyon-Paris 1910
Reiffenstuel. Jus Canonicum Romae 1833
Renard P. Le mariage est il un contrat. Paris 1918
Reuter G. Das Problem der Ehe. Berlin 1914
Rocco Dr. G. Filosofia del matrimonio. Napoli 1892
Rosset. De Sacramento matrinii. Paris 1896
Roskovany. Matrimonium in Ecclesia catholica potestati eccle-

	siasticae subiectum.	Pestini	1871-87
Rosmini.	Filosofia di diritto.	Milano	1841
Ruggiero (de) R.	Istituzioni di diritto civile t. II	Milano	Ed. 6
Schiappoli D.	Il matrimonio secondo il diritto canonico	Napoli	1932
Schmalzgrueber.	Jus Eccles. Universum. Sponsalia et Matrimonium	Romae	1844
Smet (de).	De sponsalibus et matrimonio.	Brugis	1927
Spedalieri.	De'diritti dell'uomo.	Assisi	1791
Suarez.	De legibus.	Venetiis	1740
Surbled.	Questions controverses.	Paris	1906
Taparelli.	Saggio di diritto naturale.	Romae	1854
Tarquini.	Juris Ecclesiastici publici institutiones.	Romae	1844
Tillier.	Le mariage, sa génèse.	Paris	1898
Thomas S. Aquin.	1. ae, qu. 101; Supl. qu. 49; Contra Gentes. 3, 12 sq.; 4, 78.		
Vanhems. R.	Le mariage civil.	Paris	1904
Vives G.	Origine ed utilita del matrimonio.	Roma	1862
Vlaming.	Praelectiones iuris matrimonialis.	Busum	1921
Wernz S. J.	Jus Decretalium. t. I, IV	Romae	1925
Wernz-Vidal	Jus matrimoniale.	Romae	1928
Westermarck.	Origine du mariage.	Paris	1895

PARS PRIMA

DE MATRIMONIO AD NORMAM LEGUM CIVILIUM

Priusquam perveniemus ad diudicandum valorem institutionis s. d. matrimonii civilis, exponenda sunt: doctrinae civilistarum de matrimonio, notio, origo et fundamenta ipsius matrimonii civilis. De primis agitur in capite primo huius partis; de ceteris — in capite secundo.

CAPUT PRIMUM

DOCTRINAE CIVILISTARUM DE MATRIMONIO

ARTICULUS I

QUID DE NOTIONE MATRIMONII

Si ipsum nomen consideramus, omnes concedunt id originem ducere a matre, quae, si iam coniugalem societatem consideramus, videtur principaliori munere in hac societate fungere[3]). Praesertim elucet hoc considerando matris partem in prolis procreatione et formatione.

Alia nomina in variis idiomatibus v. g. nuptiae, le nozze, die Ehe, brak, malženstvo, exprimunt vel ceremonias rituales, quae peragebantur contrahendo matrimonium, vel aliquid aliud, secundum id, quod a populo magis aestimabatur. Haec vero aestimatio dependet ab educatione et inteligentia populi.

Si vero ipsam rem spectas, definitiones matrimonii variantur secundum diversitatem opinionum de matrimonii natura.

---

[3]) Conf. F. Cappello. De Matrimonio pg. 1.

Auctores iuris Romani communiter tradunt duas matrimonii definitiones: Justiniani (Inst. 1. 9. de patr. potest. § 1) „matrimonium est viri et mulieris coniuctio individuam vitae consuetudinem continens", et alteram Modestini (I. 1. D. 23, 2) „nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae divini et humani iuris communicatio". Quae duae definitiones alia aiiam quasi supplent. Modestinus non facit expressam mentionem de indissolubilitate matrimonii; Justinianus vero nihil dicit de supernaturali huius contractus charactere. Istae definitiones, uti dicit P. Vidal[4]), propterea non plene exprimunt essentiam matrimonii, quod auctores harum definitionum fortasse considerabant non solam naturam matrimonii, sed etiam mores populi illorum temporum. Coniuctio maris et feminae, de qua sermo fit in utraque definitione, non excludit consensum contrahentium, imo secundum Ulpianum (L. 30. D. 50. 17 de R. J.) „nuptias non concubitus, sed consensus facit", sed hic consensus nec solus sufficiebat, nec nostro sensu intelligebatur. Ut esset vinculum matrimoniale, in Jure Romao fuerunt necessaria duo elementa; consensus et conviventia. Consensus significabat affectum maritalem, propterea non sufficiebat pro semper semel praestitus ineundo matrimonium, sed censebatur durare, quamdiu, durabat affectus maritalis in utraque parte[5]). Conviventia vero intelligebatur lato sensu, i. e. non fuit cohabitatio in eadam domo, sed sufficiebat praestare mutuum honorem matrimonialem. Propterea deficiebat conviventia, si unus ab altero recedebat cum animo non redeundi, et recessus nullum signum honoris matrimonialis preastabat, vel si contra propriam voluntatem separabatur ab altera parte nec honorem matrimonialem praestare potuit (v. g. in captivitate). Sic intellecti consenssus et conviventia fuerunt simul necessarii ad vinculum matrimoniale. Deficiente alterutro matrimonium censebatur dissolutum.

Civilistae moderni tradunt varias matrimonii definitiones quae variantur secundum varietatem opinionum, quas habent de matrimonio. Communiter adducunt definitionem

---

[4]) Instit. Juris Romani pg. 290.
[5]) Cnf. de Ruggiero. Institut. del diritto civile; editio VI a, vol. II, pg. 52 - 53.

Justiniani[6]). Consentientes in verbis non semper illi consentiunt cum Justiniano de re, diverse iudicantes de natura matrimonii. Multi sunt, qui tenent de matrimonio doctrinam omnino orthodoxam: id esse contractum sua natura distinctum ab aliis, esse indissolubile[7]), alii vero tenentes eandem definitionem existimant matrimonium esse contractum civilem rescindibilem vel lege auctoritatis civilis, vel etiam voluntate contrahentium. Non pauci vero, ne vim faciant verbis retinendo definitionem ex iure Romano, proprias definitiones creant conformes praeiudiciis ab ipsis excogitatis de natura et fine matrimonii. Omnibus his definitionibus communis est character egoisticus, quamvis non semper clare apparens. Sic Ahrens[8]) matrimonium definit: „Die Ehe ist daher Lebensgemeinschaft, welche in der ganzen Persönlicheit, in der vollen Hingabe, in dem ganzen sittlichen Genusse der gegenseitigen Persönlichkeit, in dem Vereinigungsbande selbst ihrem vollstendigen Zweck und ihre Befriedigung hat". Non pauci vero irridentes naturam et finem matrimonii similesque definitiones tradunt. Quas omnes multi exprimunt his verbis: „Manger, boir, dormir ensemble c'est mariage, ce mesemble" (Definitio communis scholae liberae unionis in Gallia). Non desunt matrimonium ponentes in sola et omni unione sexuali duarum personarum diversi sexus, omnino non coosiderantes cohabitationem, prolis genetationem[9]).

ARTICULUS II

QUID DE NATURA MATRIMONII

a) **Quid de origine matrimonii.**

Cum ex origine matrimonii multa deduci posunt de natura et indole ipsius, ex his vero integra doctrina de iuri-

---

[6]) Stahl. Philosophie des Rechts. II A 1 p. 249.
Kosaks K. Lehrbuch des Bürgerlichen Rechts II, II pg. 83
R. de Ruggiero. Loco cit. vol. II pg. 51

[7]) Cnf. Pennacchio. La legge sul divorzio in Italia. Roma 1908.

[8]) Naturrecht. t. IV[6], Apud Kathrein. Moralphilosophiet. II, pg. 395.

[9]) Leo Blum. Du Mariage. Paris, 1907;
S. J. Fourrier. Cnf. Avogadro. Teorica dell'istituzione del matrimonio P. II, pg. 256, 257.

bus et obligationibus individui, status, Ecclesiae erga matrimonium, omnibus temporibus tum historici, tum philosophi, tum etiam alii sollicite inquirunt de matrimonii origine. Alii quidem student factis historicis antiquitatis, alii examinant vitam et mores nationum hodiernarum, alii vero ex propriis ideis philosophicis, abstrahendo a vita reali tam antiqua, quam hodierna construunt integrum systema historicum generis humani a primordiis usque ad finem mundi. Nec mirum proinde est, haec systemata unum ab alio toto coelo differe.

§ 1. Systema evolutionistarum.

Evolutionistae ponunt ut principium probatum hominem ortum esse ex animalibus.

Si ipsis credes, primitivus homo propterea, quod paulum differens a brutis, caruit idea boni vel mali, secutus est in omnibus proprium instinctum communem ceteris animalibus. Vivebant primi homines parvis gregibus et aliorum societatem quaerebant solummodo ob aliquam necessitatem vel ob imminens periculum, quo feliciter superato denuo disgregebantur. Hic homo-animal tendebat ad unicum finem — conservare se ipsum, et gregem ad quam ipse pertinebat. Unica cura quotidiana erat — quaerere victum et feminam. Ex hoc naturaliter sequebatur continua lucta fortiorum contra debiliores, vincebant semper magis evoluti et sic genus humanum paulatim perfectius fiebat; Sensus mutui amoris in hac periodo ignotus fuit, ipsa vita fuit omnino instabilis — quaerebatur solummodo aptus locus ad requiem noctu, interdiu vero vagabatur per silvas. Vita sexualis promiscua fuit.

Cum maiorem iam evolutionis gradum assecutus esset, cum iam capax evasisset distinguendi proprios parentes et sibi consanguineos a ceteris hominibus, orta est familia consaguineorum. Certus numerus consanguineorum sive rapina sive furto sive emptione procurabat sibi certum numerum feminarum, cum quibus omnes promiscue cohabitabant, exclusis tamen ceteris, non eiusdem familiae personis. In hac periodo originem duxisse affirmant sic dictum matriarchatum, caput familiae fuisse matrem, consanguinitatem computatam esse a sola matre, nec aliter computari potuisse, quia pater incertus fuerit. Secundum J. J. Rousseau in illa

periodo curam prolis habuisse solam matrem in tantum in quantum ipsi illa proles necessaria fuerit. Postea vero iam consuetudinem ortam esse curam habere propriae prolis.

Inter has duos periodos R. Kautski et pauci ex recentioribus voluerunt ponere aliam intermediam, in qua sexualem vitam gessit solus cum sola. Huius tamen modus cohabitationis causa fuit non perfectio hominis, sed sensus brutalis invidiae. Propterea in altioris evolutionis gradu loco cohabitationis inter duos orta est familia consanguineorum. Haec theoria tamen, uti periculo antievolutionistico non carens, a fautoribus evolutionismi communiter reicitur.

Labentibus saeculis, cum progressu materiali praesertim industriali vir, uti fortior, emancipatur et fit dominus bonorum, propterea etiam dominus feminae et prolis uti debiliorum. Vir fit caput familiae. Hoc tamen non ex aliquo affectu sublimi tuendi debiliores, sed ex egoismo et phisica praevalentia viri. Sic orta est poligamia: mulieres vel emuntur vel rapiuntur occasione bellorum; Paterfamilias est absolutus dominus tum feminarum tum prolis. Cum ulteriori evolutione tum viri tum feminae — cum sublimiore affectu ex una parte et resistentia morali contra conditionem servilem ex altera paulatim in usum venit monogamia. Societas manogamica melior est ceteris antiquioribus eo, quod onus servitutis, quam olim experta est sola femina, nunc saltem ex parte etiam viro incumbit. Tamen nec societas monogamica est modus perfectus vitae humanae. Hodiernus capitalismus, praeiudicia aristocratica et religiosa hanc societatem defendunt, exaltant ut modum naturalem vitae humanae. Sed suo tempore omnia finem habent. Cursu temporis in certo gradu evolutionis generis humani ruet hodiernus ordo capitalisticus cum praeiudiciis aristocraticis et religiosis. Tunc erit comercium sexuale omnino liber, sine servitute ex parte feminae vel viri. Hoc non erit promiscuitas primitiva, ubi semper praedominans fuit vis physica, sed erit libertas et aequalitas rationabilis sexuum.

Sic paucis verbis evolutionistae philosophi: J. J. Rouseau, Bebel, K. Kautski, Herbert Spenser, Stendhal, Abram Paul, Reich etc.[10]).

---

[10]) Cnf. Cathrei. Moralphilosophie. t. II, pg. 384...
W. Schmidt. Der Mensch aller Zeiten. t. III, pg. 138...

Alli fere eandem theoriam excogitaverunt non principiis propriae philosophiae innixi, sed observando vitam earum nationum, quae sub respectu culturae materialis sunt inferiores, quam ceterae nationes. Ratio tamen movens eadem fuit. Ut verum probatumque existimantes hominem ortum esse ex animali, ad investigandum modum vivendi antiquissimis temporibus studebant moribus nationum, gerentium vitam sic dictam primitivam. Ex his, quae invenerunt apud illas nationes barbaras, affirmant eadem principia moralitatis fuisse apud omnes nationes, cum ipsae essent in eodem gradu culturae. Et revera viatores et exploratores Australiae et aliarum regionum, praesertim insularum, quae olim paucis et parum cognitae fuerunt, miras res narrant de vita gentium harum regionum. L. Morgan degens per quadraginta annos apud irokezos Americae Septentrionalis studuit moribus illius populi adhuc barbari. Ex omnibus, quae ibi observavit, quae praeiudiciis evolutionistarum suffulta imaginatio creavit, L. Morgan construxit miram theoriam de origine matrimonii familiaeque omnino similem theoriae superius explicatae. Alii non pauci[11]) secuti L. Morgan aliosque exploratores mira narrantes de moralitate populorum barbarorum, apud quos, ut ipsi dicunt, nec matrimonium, nec etiam vocabulum ideam matrimonii exprimens inveniri, theoriam evolutionistarum de origine familiae tenent pro dogma tum philosophice, tum historice probatum.

§ 2. **Doctrina hanc quaestionem critice tractantium.**

Theoria tamen modo tractata, vel saltem modus quo ad supradictas conclusiones nonnulli perveniunt, nec ipsis evolutionistis omnibus placent.

a) Darwin solis rationibus biologicis innixus eam reicit affirmatque primitivam familiam fuisse monogamicam.

Experientiae L. Morgan et narrationibus exploratorum pauca respondentur. Recte animadvertit P. Avigdor[12]): „Il

---

[11]) M. Lenan, Bachoven, Giraud - Teulon, Lubock etc...
[12]) Exement critique de tendences modernes dans les mariage. pg. 11, 14.

faut d'adorb remarquer que la plupart des exemples cités par les voyageurs en faveur de la theorie de la promiscuité ne sont pas probants. Il demontrent qu'il s'agit tantot de polyandrie ou de polygamie, mais ce sont encor les mariages..."

De credibilitate autem L. Morgan et aliorum narratinum dicit: „...les voyageurs se lessent souvant tromper par l'apparence et ne peuvent observer les moeurs que superficiellement".

M. E. Westermarck[13]) narrationes de unione libera apud nonnulos populos tum hodiernos, quam antiquos reicit, ut falsas. Quamvis ipse miram theoriam sequitur de origine matrimonii (nempe matrimonium originem ducere ex familia et non vice versa), tamen ex his, quae colligi possunt de vita populorum barbarorum, affirmat iam inter primos homines fuisse matrimonium. Narationes vero de promiscuitate sexuali apud nonnullos populos dicit esse falsas ob defectum criticae in narrantibus, qui ex singulis factis observatis vel auditis construunt theorias universales. Ad probandam veritatem proprii asserti Westermarck adducit plurima exempla et concludit: „L'immoralité de beaucoup de sauvages est certenement très grande, mais nous ne devons pas croir, qu'ell soit caractéristique des races non civilisées en general. Il y a nombre de peuples sauvages et barbares chez lesquelles le comerce de sexes, en dehors du mariage se produit rarement, l'impudicité du coté de la femme étant cosidérée comme une honte et même comme un crime"[14]).

Nec aliquid valet affirmatio apud nonnullos populos nec vocabulum dari ad exprimendam ideam matrimonii. Si credimus Aristoteli (Polit. 1. 2. 1253 b.) antiquos graecas etiam caruisse hoc vocabulo, nemo tamen ex hoc affirmabit eos matrimonioque caruisse. Ceterum non sunt semper credenda, quae narrantur a viatoribus, nam, qui rem melius noverunt, saepe contraria affirmant.

Mira est tendentia evolutionistarum, mira etiam logica. Tenentes pro veritate infallibili hominem evolutum esse ex

---

[13]) Origine du mariage dans l'espèse humaine. C. I.
[14]) Op. cit. pg. 61.

bruto, quaerunt apud barbaros exempla, in quibus homo aliquando revera nequior apparet animalibus insipientibus. Ex his exemplis faciunt deductiones logice illicitas et eas attribuunt toto generi humano. Cum apud aliquam gentem invenerunt mulierem esse caput familiae, aut hoc ipsis saltem apparuit (quo omnes mirantur ut monstro etnologico), statim deducunt antiquissimis temporibus ubique mulierem fuisse caput familiae; cum invenerunt apud poligamos gradus consanguinitatis et generationis computari ex matre, statim concludunt id ubique fuisse; apud Buschmenos, Lubu in Sumatra, apud incolas Borneae et paucos alios invenerunt moralitatem in infimo gradu, ex hoc iam concluserunt fornicationem olim ubique licitam fuisse, uti naturalem modum vitae sexualis. Tamen similiter ratiocinando perveni potest ad conclusionem rapinam, homicidia aliaque crimina olim fuisse communia, immo postulatum naturae purae, nam haec crimina etiam nunc accidunt et quidem non apud solos barbaros.

Perversi mores hodierni apud nonullos populos vel nationes nulla est ratio affirmandi antiquis temporibus et ubiqui gentium fuisse adhuc perversiores. Historia nos omnino contraria docet: notum est graecos, romanos, hebraeos multasque alias nationes non profecisse, sed defecisse in moribus. Ipse Westermarck[15]), contra suam thesim, quam defendit, ut exemplum nominat multas nationes antiquas vel hodiernas paganas apud quas continentia et castitas uti virtus suprahumana consideratur, fornicatio vero condemnatur.

Ad evitandas tamen absurdas conclusiones, ut reperiatur, quid sit secundum, quid praeter, contra, vel supra naturam humanam, etiam evolutionistae meminisse debent examinanda esse non instinctus animales et vitia reperta apud barbaros vel excultos, sed relicto praeiudicio darvinistico, prius cognoscendam esse naturam hominis et tunc iudicandum, quinam actus tam excultae quam barbarae personae naturae humanae conformes vel difformes sint. Mirum quidem est. In nulla alia conditione vitae — industria, victu vel vestitu evolutionistae nollunt redire ad mores barbaro-

---

[15]) Op. cit. c. VII.

rum, sed solummodo in vita familiari et morali. Nolentibus credere his, quae narrantur in Sacris Scipturis de origine et statu antiquo matrimonii, ex sola historia antiquitatis licet facere unicam verisimilem conclusionem, nempe de statu antiquo matrimonii familiaeque pauca nota esse neque de hac re construi posse aliquod systema scientificum[16]).

Neque hoc tamen esset verum, nam historia nationum antiquarum et vita hodierna populorum primitivae culturae praebet sufficientia argumenta ad confutandas theorias evolutionistarum.

b) Si spectabimus antiquos populos Orientis, uti Aegyptios, Babilonios, Assyrios, Persas Indosque in historia eorum invenimus sufficientia argumenta ad affirmandum vitam familiarem apud illas nationes fuisse omnino contrariam assertis evolutionistarum. Violationem fidei matrimonialis, fornicationem et alia vitia huius generis computata fuisse inter maxima delicta, fuisse punita similiter ac furtum, rapinam, homicidium. Apud Indos maximi peccatores, inter quos etiam violatores fidei matrimonialis computabantur, existimabantur uti inimici Dei; apud Babilonios, Assyrios atque Persas adulteri morte multabantur. Numquid logicum esset affirmare apud has nationes ignotum fuisse matrimonium fidemque matrimonialem, si ex historia scimus posterioribus solummodo temporibus lapsam esse moralitatem fidemque matrimonialem atque hanc rem magna ex parte fuisse causam ruinae horum populorum.

Quis ignorat quam magnam aestimationem institutionis matrimonialis apud antiquos Graecos fuisse. Si non potest affirmari apud ipsos matrimonium fuisse indissolubile, certum est illud fuisse ornatum charactere religioso. Unio Herae cum Zeus fuit symbolum vinculi matrimonialis, violatio fidei matrimonialis erat obnoxia severis poenis.

Similiter apud antiquos Romanos matrimonium non carebat charactere religioso. Polygamia, si non iure, certe more prohibebatur. Adultera mulier simul cum complice a viro occidi poterat. Teste Seneca, adhuc tempore belli punici impudicitiam monstrum fuisse non vitium[17]). Virgines Ves-

---

[16]) Sic conclubit Digesto Ital. Matrimon. dir. civ. nr. 15.
[17]) Marquardt. Das Privatleben des Römer. 1886, P. I, pg. 69.

tales castitatem servare tenebantur, reae vero delicti contra hanc virtutem vivae sepeliebantur. Defectus fidei matrimonia lis, perversitas morum nonnisi multis annis post latius diffusa est et simul cum his initium coepit ruina imperii populique Romani.

De vita matrimoniali apud antiquos Hebraeos fusius dicetur in secunda parte huius dissertationis. Hic satis erit mentionem facere facta historiae huius populi contraria esse doctrinis evolutionistarum.

Item scimus apud populos antiquos profitentes Budhismum, Confutianismum, Sintoismum institutionem matrimonialem et familiam exstitisse ab antiquissimis temporibus. Quamquam confutianismus non prohibet virum concubinas possidere, tamen illae non existimantur uxores. Uxor debuit esse una, cui illicitum erat cum aliis viris aliquam amicitiam fovere. Vir autem debuit eam prae ceteris singulari honore et affectu prosequi. Secundum Sintoismum vero peccantes contra religionem, vitam, iura proprietatis alterius atque contra castitatem post mortem inferno punientur.

Similia invenimus etiam in historia antiquorum Germanorum. Si non semper matrimonium indissolubile fuit, ab antiquissimis tamen temporibus fuit monogamicum, violatio fidei matrimonialis ponebatur inter gravissima crimina — simul cum homicidio, rapina, odio contra genitores etc. Puellaé docebantur, ut magis studerent virtuti aquam pulchritudini vel divitiis. Iuvenibus vero inculcabatur, ut essent prudentes atqui vitarent quamcumque conversationem cum feminis ne aliqui affestus erga eas, atiamsi interni, foverentur[18]).

c) Nec vera sunt, quae narrantur apud evolutionistas de populis barbaris recentiorum temporum. Necesse est omnino ignorare vitam moresque indigenarum, ut possit affirmari cum J. Lubock, indigenas Australiae e. g. carere ideis moralitatis et religionis. Multi, qui hoc affirmant, nec satis studeurunt moribus supradictorum indigenarum, nec tempus habuerunt omnia sufficienter cognoscere, ceteri vero ducti

---

[18]) De hic dictis cnf. A. Knecht. Handbuch des Kath. Eherechts. Herder, 1928.
Kathrein. Moralphilosophie. t. I, pg. 569...
Freisen. Geschichte des Kan. Eherechts. 5-9, 13, 15.
Marquardt. Op. cit. P. I, pg. 33, 69.

sunt a priori praeiudicio evolutionistico. Qui melius cognoverunt indigenas Australiae, narrant contraria assertis J. Lubock. Apud populos barbaros huius regionis, qamvis mulier habeatur serva et proprietas mariti, neque tamen desunt matrimonium nec familia, in qua iterum non deest mutuus inter virum et mulierem respectus et amor, qui etiam cum morte alterutrius partis non semper evanescit. Infidelitas matrimonialis, praesertim ex parte mulieris, saepe saepius morte punitur. Fornicatio existimatur esse malum. Cum consanguineis et affinibus prohibentur non solummodo relationes fornicariae, sed etiam affectus interni et obscenae cogitationes. Non desunt quidem mala, sed, ut nonnulli affirmant, non semel magistri huius mali apud eos fuerunt primi colonistae — scelerati fugitivi vel in poenam hic in exilium electi ex regionibus Europae[19]).

Iterum quam longe distat a veritate olim affirmata unio libera apud indigenas Novae Zelandiae, Belep et insularum vicinarum. Apud incolas harum insularum non desunt mala, quis tamen audivit, ut in regionibus Europaeis viro vel mulieri adultero-ae vel sollicitanti lingua amputaretur, vel ipse-a morte puniretur, ut post mortem mariti, in signum fidelitatis mulier sua sponte occideretur. Haec autem facta inveniuntur apud indigenas harum insularum[20]).

De indigenis vero Asiae Orientalis (Ba-Anar, Cochinchina, Ainos Japoniae) satis erit dicere eorum vitam familiarem et curam de iuvenum modestia non semel exemplo posse servire (v. g. apud incolas Ba-Anar) excultis Europaeis[21]).

Negri Africae multum inter se differunt tum cultura, tum moribus, tum moralitate. Ulla tribus tamen caret familia, matrimonio, fide matrimoniali, respectu modestiae. Si credimus Livingston[22]), ante adventum Europaeorum polygamia hic inaudita erat. Non desunt quidam tribus, apud

---

[19]) Cnf. Cathrein. Op. cit. t. I, pg. 620.

[20]) Cnf. Annales de la propag. de la foi, XV, 27; apud Cathrein op. cit. t. I.

[21]) Dourisboure. Les sauvages Ba-Anars. Paris 1875; Cathrein l. c. pg. 634.

[22]) Die neue Missionsreise in Südafrica; Cathrein l. c. pg. 639.

quas mores sunt valde perversi e. g. Vassarami, ex alia tamen parte sunt etiam laude digni e. g. Congo-negri[23]).

De indigenis Mexicae, Peru et Brasiliae fere idem dicendum manet. Quamvis nunc apud nonnullos in praxi familia sit polygamica, tamen dantur familiae, matrimonia. Delicta contra fidem matrimonialem ut grave crimen existimatur. Nec verum est, quod nonnulli narrabant de unione libera apud tribus Botoccudi et Chovanti in montibus Brasiliae.

Denique saltem pauca de Eskimis regionum Polarium-Grenlandiae. Apud Eskimos existit familia, matrimonium cum una, aliae vero aggregantur ut concubinae. Adulterium severe punitur. Propter peculiares vitae conditiones mores non sunt laude digni, sed ad hoc respondemus cum Cathrein[24]) dicente, sicut apud Europaeos, ita apud Eskimos quoque malum fieri, nequaquam ut bonum, sed ut malum ab omnibus existimari. Non raro enim accidit sunsus non inclinari ad ea, quae ab intellectu proponuntur ut bona.

Nec conamur ulterius quaerere de statu vitae familiaris aliarum nationum nostris diebus. Hic enumeravimus saltem eos indigenas, quorum cultura, materialis et spiritualis, si termino evolutionistarum utemur, est in gradu valde primitivo. Ex his, quae dicta sunt de nationibus antiquis, et de indigenis recentiorum temporum, satis apparet falsitas narrationum theoriaeque evolutionistarum de origine matrimonii et familiae.

b) **Quid de fine matrimonii.**

Doctrinae civilistarum de fine matrimonii omnino correspondent ideisde natione atque origine eiusdem et propterea variantur secundum opiniones, quas quis tenet de natura hominis et de matrimonio.

Athei et evolutionistae, nihil admittentes in homine praeter corpus materiale, finem matrimonii ponunt in prolis generatione et physica educatione. Propterea docent minus

---

[23]) Cathrein. l. c. pg. 653 — 658.
[24]) Cathrein. l. c. pg.; 676.

necessarium esse proli iam generatae usque ad maturam aetatem fruendum utroque vel etiam alterutro genitorum. Hoc innixi defendunt honestatem divortii, sine remorsu conscientiae propriam prolem tradunt in orfanotrophia, vel etiam in propria domu relinquunt curae ancillarum, ut ipsi ampliori libertate frui possint. Nec opus est multa loqui de valore huius theoriae, nam ipsa supponit ut probatas has assertiones: Deum animamque humanam non existere, hominem ducere originem ex animali, naturam humanam non differri a natura beluarum.

Communistae finem matrimonii ponunt in sola generatione, educationem physicam statui relinquentes. In praxi tamen hunc quoque unicum finem negligunt.

Logica sequela ex communismo est libera unio. Fautores liberae unionis[25]) finem matrimonii ponunt in sola satisfactione sexuali. L. Blum v. g. obscenis verbis irridet indissolubilitatem matrimonii, generationem prolis, praesertim ante senectutem, nam proles impedit libertatem, qua possunt frui carentes prole[26]).

---

[25]) Hanc scholam in certum systema redegerunt in Gallia Fratres Margeritte; Recenti vero tempore non paucos defensores habuit, inter eminentiores quorum possunt nominari Abram Paul et Leo Blum ambo hebraei athei.

[26]) Cnf. Leo Blum. Du Mariage.

CAPUT SECUNDUM

DE MATRIMONIO S. D. CIVILI

ARTICULUS I

§ 1. **Notio.** Matrimonii civilis, de quo hic sermo est, nomine vocant „contractum maritalem etiam christianorum, coram magistratu civili initum, secundum solas leges civiles de consensu, forma, habilitate personarum latas“ (Wernz-Vidal; Jus matrim. pg. 681)[27]).

Propterea hic praetermittimus meram registrationem apud officialem civilem, ad normam legum civilium, vel contrahendorum, vel etiam contractorum matrimoniorum ad normam legis ecclesiasticae. Item non loquimur de matrimoniis non baptisatorum, contractis secundum praescripta legis civilis.

§ 2. **Species.** Secundum rigorem, qua lex civilis matrimonium civile imponit vel permittit, hoc matrimonium distinguitur in obligatorium, facultativum et subsidiarium.

Obligatorium vocatur, si hoc matrimonium absolute imponitur, ut in foro civili habeatur pro matrimonio et effectus civiles obtineat (v. g. in Gallia, Germania).

Facultativum, si civibus datur libera optio inter matrimonium religiosum et civile atque in foro civili quoad validitatem effectusque civiles utrumque aequaliter existimatur (e. g. in Italia, M. Britania).

Subsidiarium, si matrimonium civile permittitur solumodo illis, quos lex canonica arcet matrimonio, non vero lex civilis.

---

[27]) Similiter apud F. Cappello. De matrimonio, pg. 829.
De Smeet. Sponsalia et matrimonium, pg. 390.
P. Knecht. Op. cit. pg. 93.
Lingz. Die Ziwilehe von Standpunkt des Rechts.

Matrimonium civile obligatorium potest adhuc subdividi in necessario antecedens matrimonium religiosum (e. g. in Gallia) et liberum quoad praecedentiam.

Inter matrimonium civile facultavum et subsidiarium distinctio est potius theoretica, quae in praxi rarissimo invenitur.

ARTICULUS II

EVOLUTIO DOCTRINALIS HISTORICA MATRIMONII CIVILIS

Quamvis matrimonium civile lege civili formaliter introductum nunquam notum fuerit usque ad tempora pseudoreformatorum, germen tamen huius institutionis est eiusdem aetatis ac genus humanum. Hostes sanctitatis matrimonii et vitae familiaris nunquam defuerunt. Nimis longum esset omnia ab initio mundi enarrare. Paucis saltem verbis in memoriam revocamus ea tentamina contra matrimonii sanctitatem, quae superavit Ecclesia.

Iam ipso initio Ecclesiae sanctitas naturalis matrimonii fuit omnino profanata, ita ut, ne hebraicus quidem populus electus verae religionis conservandae causa liber fuit a gravibus delictis contra institutionem primaevam matrimonii. Quid vero de paganis? Praetermissa iam turpi vita practica sufficit in memoriam revocare mytologias gentilium de adulteriis et fornicatione deorum, de officio adorandi eos etiam fornicando. Ecclesiae, Christi Redemptoris principia secutae, matrimonii sanctitas iam non defendenda erat, sed resuscitanda ex mortuis. Hoc autem Ecclesiae opus impugnatur non solummodo a paganis et a synagoga Iudaeorum, sed etiam primis temporibus oriuntur inimici ex parvo coetu christianorum. En Simon Magus omnia egoismo ponderans, turpis vitae homo spargit suam doctrinam de effrenata libertate in usu feminarum negans non solummodo matrimonii sanctitatem, sed quodcumque matrimonium. Eius discipulus Saturni-

nus docet nuptias et prolis generationem a diabolo esse[28]). Marciones et alii non pauci primis saeculis existimarunt nuptias esse illicitas (apud S. Augustinum. De haeresi). Ne cum propagatione quidem christianismi huius generis inimici disparuerunt. Ecce sectae Canistarum, Nicolaitarum, Eutichianorum, tardius vero — Gnostici, Manichaei, Petrus de Bruis et integra series usque ad pseudoreformatores variis modis impugnantium matrimonii sanctitatem. Uti videbitur postea, moderni s. d. matrimonii civilis et unionis liberae defensores nihil novi invenerunt, immo nec superaverunt suos praedecessores, nam e. g. manichaei sua doctrina de libera unione, de evitanda prole, incitamento ad fornicationem fere superant omnes hodiernos neomalthusianismi et liberae unionis propagatores. Uti praedecessores immediati pseudoreformationis sufficit nomire Albigenses (ex saeculo XI), Valdenses (ex saeculo XII), Lollardistas (ex saeculo XIV) secundum quos sacramentum matrimonii nihil aliud est, nisi iuramentum meretricium. Secundum Wiclef (mort. anno 1384) matrimonium consistit in sola unione sexuali, proinde est nec contractus nec sacramentum[29]).

Venit Lutherus (1483 — 1546), qui errores antiquorum in unum systema redigit. Secundum Lutherum[30]), matrimonium non est sacramentum, sed quotidianum negotium saesulare et pertinet ad iurisdictionem potestatis civilis. Coelibatus virginitasque est gravius crimen adulterio, furto etc., nam omnis homo ex natura est fornicator et adulter, nec data occasione et in circumstantiis sibi favorabilibus contineri potest. Polygamiam nec permittit, nec prohibet affirmans nihil hac de re ex Sacris Scripturis deduci posse, personaliter tamen tenet eam neque contra fidem, neque contra mores esse, solummodo nonnulla incomoda secumferre. Lutherus permittit adulterium praesertim feminae, quae non potest concipere cum proprio marito. Divortium cum iure nubendi alteri permittit propter multas satis futiles causas. Uti a priori deduci potest, fructus talis doctrinae fuerunt, ut mox

---

[28]) Cnf. dicta de modernis pg. 12 - 13.

[29]) De his omnibus breviter vide: Hugon. op. cit. pg. 737...
Bellarminus. De matrimonio. C. 1.
Avogadro. Teorica dell'istituzione del matr. P. II, c. VI - X.

[30]) Videas Grisar. Luther, pg. 200 — 218.
Dölinger. La Reforme. t. II, Luther.

ipse Lutherus testis erat horrendae morum depravationis eorum, qui eius doctrinam secuti sunt. Totam tamen causam huius rei Lutherus daemonio attribuit, non sibi[31]).

Contemporaneus Luthero et propagator fere earundem doctrinarum in Helvetia et Gallia erat J. Calvinus (1509 — 1564)[32]). Ipse negat matrimonio inesse quamlibet indolem superiorem atque affirmat illud esse institutum aequale agriculturae, architecturae, sutrinae, tonstrinae. Insultat eos, qui docent matrimonium esse sacramentum, dicendo aequali sensu furtum quoque posse vocari sacramentum et „ut dicas, nihil aliud, quam abominationum latebras quaesiisse, dum e matrimonio sacramentum fecerunt". Nec ipse tamen contradictionibus caret. Sic vilipendens matrimonium, vult omnibus illud imponere, nisi aliquis per miraculum ab hoc onere exemptus sit. Laudans Ecclesiam, quod ipsa prohibet clericos venatione, mercatura, lascivis ludis etc., ei maledicit, ob coelibatum impositum clericis, quamquam secundum ipsum matrimonium nec mercatura, nec aliqua alia occupatione nobilius est. Castitatem vitium esse arbitratur, votum autem castitatis — grave delictum contra voluntatem Dei, immo tentationem Dei. Impudentissimum esse dicit virginitatem vocari virtutem angelicam, nam eius existimatione „extenuatur eius (matrimonii) dignitas et sanctitas obscurabatur".

Doctrinae pseudoreformatorum placuerunt populo, nam omnino relaxabant vincula moralitatis, eo magis placuerunt principibus saecularibus, nam favebant ipsorum placitis in controversiis de competentia iurisdictionis inter Ecclesiam et potestatem civilem. In principum saecularium favorem doctrinis pseudoreformatorum accedunt cum propriis theoriis Marsilius Patavinus, M. A. de Dominis, J. Launoy.

Marsilius Patavinus iam ante pseudoreformatores (saeculo XIV) defendebat theorias falsas de competentia principum relate ad Ecclesiam, Romanum Pontificem etc. Secundum ipsum, summa potestas, etiam spiritualis, est in toto

---

[31]) Iam anno 1529 sindacus civitatis Constanciae capitis domnavit L. Hetzer reum adulterii et simultaneum maritum 12 mulierum, qui etiam alios excitabat ad adulteria, uti conformia voluntati Dei (Dölinger. op. cit. t. I, L. Hetzer).

[32]) Cnf. Corpus Reformatorum Calvinus. Opera Omnia, vol. II L. IV. c. XIII.

coetu fidelium, quae transfertur in Romanum Pontificem non directe a populo, sed a principe saeculari, cum coetus eam transfert in principem saecularem, hic vero quantum ipsi placet, concedit Romano Pontifici. Uti in omnibus rebus, sic etiam in matrimoniis omnia spectant ad principem saecularem, Ecclesia vero tantum competentiae in matrimonia habet, quantum ipsi a pricipe (imperatore, rege etc.) concessum est. Cum vero hanc potestatem princeps concedat, ille data necessitate etiam revocare potest.

Etiamsi alio ex capite, multum favet principum competentiae in matrimonia Melchior Canus. Ipse enim ponit realem distinctionem inter contractum et sacramentum. Priorem docet posse subsistere sine altero, ministros contractus esse partes contrahentes et ut rem omnino saecularem spectare ad competentiam principis saecularis. Sacramenti vero ministrum docet esse sacerdotem, et, ut rem sacram, sacramentum spectare ad Ecclesiam.

Omnino adherens placitis principum saecularium et theoriis pseudoreformatorum scripsit de matrimonio apostata a fide et religione M. A. de Dominis. Quae doctrina paucis verbis sic resumi potest:

1) Matrimonium institutum esse a Deo, sicuti et cetera, quae in terris cernimus (v. g. copulatio animalium).

2) Unicuiquae hominum inesse ius ad matrimonium, quod nulla potestas humana impedire possit, nisi in casibus et adiunctis particularibus princeps saecularis.

3) Cum matrimonium res omnino profana sit, eius administrationem spectare ad principem saecularem.

4) Matrimonium differre ab unione animalium in eo, quod priori accedat contractus inter duo; unitatem tamen non esse de natura matrimonii, sed ex positiva ordinatione Dei data Adamo in somnio, quod ipse evigilatus verbis expressit: „Hoc nunc os ex ossibus meis..."

5) Cum procreatio prolis in matrimonio etiam esset res tota carnalis et corporea, ne lapsu temporis homines fierent sicut aequus et mulus, Deum reliquisse hanc rem competentiae et curae eorum, quibus relictum sit ordinare etiam alias res temporales ac profanas, — scilicet principi civili. Hunc ordinem in universo fuisse usque ad Christum, quod nemo negare potest.

6) Christum vero revocando libellum repudii statuisse matrimonii unitatem et indissolubilitatem, nihil tamen novi de competentia edixisse, sed omnia reliquisse, ut iam fuerat, competentiae principum.

7) Propter graves causas tamen principem posse etiam divortium permittere, nec Christi verba (Math. 19, 8) hic obstare, cum ipse dicat: „Iugum meum suave est onus leve", atqui nisi divortia forent possibilia, haec verba non essent vera. Proinde considerando Math. 19, 8 inspiciendam esse intentionem, non vero sonitum verborum.

8) Nec valere quidquam contra assertam potestatem principum theoriam de matrimonio ut sacramento, nam in matrimonio nullo modo aliquid sacramentis proprii inveniri posse; theologos minime probare huius sacramenti institutionem (eorum assertionem esse vanam et reduci ad absurdum).

Denique etiam si esset sacramentum, ex hoc nihil sequeretur contra competentiam principum, cum sacramentum esset aliquid additum matrimonio iam inito, ut contractui profano.

9) Impedimenta matrimonialia alia esse ex natura, alia ex dispositione principum. Accedere quidem etiam legislationem Ecclesiae, quae tamen, cum hic sit incopetens, obligare non potest nec in foro interno, nec externo, sic e. g. impeditos ordine sacro vel voto, nisi princeps saecularis prohibeat, posse tuta conscientia licite matrimonium inire[33]).

Similiter ac de Dominis docuit de matrimonio eius comentator ac in doctrina successor J. Launoy. Secundum ipsum, cum matrimonium sit contractum et cum illud magnum valorem habeat pro bono communi, non posse negari plenam competentiam principis saecularis. Parum interesse matrimonium esse sacramentum, nam sacramentum additur contractui „uti idoneae materiae praeexistenti". Praeterea bonum publicum postulare, ut princeps possit prohibere nonnulla matrimonia. Sicuti contractus emptionis — venditionis princeps ordinare potest, ita etiam matrimonia, cum ille non tangat sacramentum, sed contractum. Leges ferrede impedi-

---

[33]) Cnf. ipsius „De Republica Ecclesiastica" L. V. c. 11.

mentis matrimonialibus, atque omnia huius generis spectare ad principem civilem.

Ad probandam competentiam principum „rationem palmarem", ut ipse dicit, sic exprimit: „Cum matrimonium contractus quidam sit, sequitur illud legum dispositioni et ordinationi subicere: nam omni propemodum contractui commune est, ut varietate temporum et hominum aliter atque aliter iniri possit et debeat, ita ut ad commune reipublicae bonum redundet: quem finem omnes contractus, et matrimonium spectat. Ut ergo magistratum esse oportet, qui aliis contractibus leges praescribat, eoque ad reipublicae emolumentum dirigat; sic necessario requiritur magistratus, qui contractum connubialem latis legibus regat et moderetur: idque tanto magis, quanto plus commodi, si bene, et quanto plus incommodi, si male ineatur, ex hoc contractu in hominum societatem manare solet. Et certe nisi de coniugiis ineundis leges ferre, et controversias, si quae nascuntur, diudicare et terminare posset, haud tantum potestatis accepisset, quantum ad bonum reipublicae requiritur, cum maxima ex parte salus, tranquilitas atque pax huius universi ex matrimoniis rite et ordine initis pendeat".

Ad probandam principis potestatem statuendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium, ut apodicticum (pro Launoy) argumentum, hoc affert: „Dirimentem matrimonium legem eius est concedere, cuius est in eadem dispensare. Atqui princeps olim in ea dispensabat".

Ceterum, secundum Launoy, etiamsi Ecclesia esset competens in matrimonia, non expediret, ut se his negotiis immisceat privando principes iurisdictione[34]).

Non potest tamen ullo modo affirmari enumeratas doctrinas ubique fuisse atque nunc esse sufficiens fundamentum matrimonii civilis. Non pauci auctores fautoresque huius institutionis, sicuti olim, ita etiam nunc minime aexistimant tum antiquos haereticos tum etiam pseudoreformatores saeculi decimi sexti. Forsan modernae legislationi civili, atque eo ipso etiam hic tractandae institutioni pluris valent doctrinae philosophorum decimi octavi et decimi nono saeculi.

---

[34]) De regis in matrimonium potestate. a. I. c. IX, XIII, a. IV, c. II

Praecursores Revolutionis Gallicae: Voltaire, Rousseau, Diderot, Fourier in foro publico vices sapientium agentes in vita vero privata et in scriptis profanantes omnia, quae sancta sunt, et efferentes perversitatem moralem non solum in finibus Galliae, sed etiam in aliis civitatibus, maiorem influxum efecerunt, quam pseudoreformatores, Lutherus vel Calvinus. In legislatione revollutionaria eorum principia pro fundamento habentur.

Fere eodem tempore in Germania Kant proponit theoriam autonomiae individualis; Fichte — theoriam absoluti ego, praeter quod et supra quod nihil existit; Hegel logice evolvendo propriam doctrinam necessario pervenit ad damnationem cuiuscumque societatis, eo ipso etiam familiae, quae eius iudicio sit anomalia, quam etsi suo tempore omnes consideraverint necessariam, venturum tamen esse tempus, quando omnes agnoscant veritatem suae theoriae; item Schelling negando distinctionem inter individua, negat quoque eam esse inter iura et obligationes, inter virtutes et vitia, inter moralitatem et perversitatem.

In Italia Ferrari (1812 — 1876) condemnat omnes leges moralitatis, exultat gaudio, quod corruptio morum propagatur, commendat unionem liberam praedicens mox ventura esse tempora, quibus vitia nostrae aetatis leges morales, quibus fornicationem non solum licitam, sed etiam obligatoriam fore[35]).

Omnes enumerati ubique habuerunt multos discipulos, qui eorum doctrinas propagabant, immo in legislationem civilem introducebant. Ex parte doctrinarum nihil proinde iam deficiebat ad perficiendos conatus desideriaque principum atque illis faventium. Re quidem vera cum schismate ab Ecclesia, etsi vario tempore, in variis regionibus nascitur s. d. matrimonium civile. A negotiis contractus matrimonialis excluditur Ecclesia, loco Ecclesiae autem accedit status civilis cum propria legislatione, quae variat secundum diversitatem doctrinarum et desideria legislatorum.

Primum lex, introducens matrimonium civile lata est in H o l a n d i a et Frisia occidentali Kalendis aprilibus anni 1580. Hac lege omnes n o n c a l v i n i s t a e obligantur

---

[35]) Cnf. Avogadro. op. cit. p. II, c. XIII - XXIII.

celebrare matrimonium vel coram ministello calvinista vel coram officiali civili. Lex erat valde iniuriosa catholicis. Resistentibus catholicis ortae sunt crudeles persecutiones, quae tamen ipsis nihil profuerunt. Immo anno 1633 supradicta lex promulgata est in omnibus statibus Holandiae. Calvinistis relictum est matrimonium facultativum.

Anno 1653 matrimonium civile introducitur in Anglia quod cum fuerit obligatorium etiam catholicis, ex parte eorum suscitavit magnam indignationem, persecutiones vero ex parte gubernii. Paucis annis post introductum est matrimonium facultativum, tamen usque ad annum 1836 matrimonium religiosum catholicorum, quamquam agnoscebatur validum, effectu civili carebat.

Anno 1787 Ludovicus XVI rex Galliae introduxit matrimonium civile facultativum pro dissidentibus ab Ecclesia. Tempore Revolutionis — die duodecimo ante Kalendas Octobris anno 1792 lata est lex introducens matrimonium civile pro omnibus[36]).

Cum codice Napoleonico matrimonium civile introductum est in Belgio ac Renania.

Paulatim haec institutio propagatur etiam in aliis regionibus: anno 1865 fuit introductum in Italia, 1875 in Hel-

---

[36]) Planiol in suo opere Traité de droit civil, t. I. pg. 279, de causa immediata huius legis narrat: „En 1780 l'assemblée constituante reçut une petition du comédien Talma déjà célèbre, qui se plaignait du curè de saint-Sulpice, qui avait refusè de le marier. La question du savoir jusqu'au allait le pouvoir de l'autorité ecclesiastique sur le mariage se trouvait ainsi soulévée. Elle ne tarda pas à recevoir une solution. La Constitution de 1791 formula le principe modern: „La loi ne considere le mariage que comme contrat civil" (Titre II, art. 7). Toute fois ce fut seulement le loi de 20-25 septembre 1972 qui mit et oeuvre ce principe en creant les officiers de l'état civil. Dans l'intervalle, un certain nombre de mariage avaient été reçus par des notairs".

Loquens de hac lege revolutionaria Avogadro op. cit. p. II. c. XIII dicit: „Tenendo per norma suprema la formula massonica della libertà ed eguaglianza assoluta di diritto e di fatto essa (la Rivoluzione) n'ergea in ogni borgo l'idolo nell'albero della libertà e a'piedi di questo venivano i prostituti e le prostitute della demagogia a dichiarare i loro consensi d'adulterio e di fornicazione, che intitolavano matrimonio rivoluzionario...

I legislatori (per quanto rei non possono mai, poiche fan leggi, spogliarsi affato di ogni sentimento d'ordine e di qualche pensiero di sistema) vollero bensi mantenere una forma di matrimonio legale, ma decretando che il matrimonio non é altro che un contratto civile, dissero, per conseguenza che il matrimonio é niente in natuta, niente in religione, niente fuori della civile società".

Uti apparebit in secunda parte, verba hic allata valent non solummodo pro lege 1792. IX. 20.

vetia, 1783 — in Austria, 1895 — in Hungaria, 1875 — in Germania. Ante introductionem matrimonii civilis in toto regno Germanico etiam pastores protestantes haud semel interpellabant gubernium civile quominus haec lex ferrtur. Die 9 ianuarii anni 1873 oblatus erat ab eis suplex petitionis libellus imperatori, ut ipse impediat hanc innovationem. Animadvertendum esse iam in hoc libello praedictam esse imminentem ex matrimonio cilivi dechristianisationem populi Germanici. His non obstantibus etiam violando pacta inita anno 1815 cum Sancta Sede lex lata est.

Eodem fere tempore, quo in civitatibus Europaeis, matrimonium civile introductum est in Mexico, Argentina, Peru[37]).

Revolutionaria lex lata anno 1792 pro Gallia nihil aliud fuit nisi legitimatio concubinatus praeconisati a philosophis Galliae. Quamvis Napoleon matrimonium denuo restaurare voluerit, cum ipsius iurisperiti innixi essent principiis peligianismi et eorundem philosophorum, etiam in eius Codice de vero matrimonio nec sermo esse poterat.

E doctrinis Galliae et Germaniae philosophorum a successoribus ulterius evolutis logice secuta est unio libera. Et revera ortae sunt theoriae propagantes s. d. unionem liberam. Nec erravir Ferrari hoc praedicens, nam hodie iam alta voce proclamatur hic extremae perversitatis gradus, tum sub nomine unionis liberae, tum sub nomine communismi sexualis. Ab his tamen magna pars etiam fautorum matrimonii civilis abhoret.

ARTICULUS III

RATIONES CIVILISTARUM PRO MATRIMONIO CIVILI

Fautores et auctores matrimonii civilis, quamvis saepe post factum i. e. usurpatis iuribus Ecclesiae, pro matrimonio civili adducunt plures rationes tum iuridicas, tum sociales, quarum saltem pricipaliores hic commemoramus.

---

[37]) Cnf. Archiv für Kat. Kirchenrecht, t. 29, pg. 148, 320.
Wernz-Vidal. Jus matrimoniale. pg. 682.
Digesto Italiano. Matrimon. pg. 1089 nr. 36—38.

1⁰ Si considerabimus ordinem et varia phenomena status moderni, clarum est statum non posse esse indifferentem erga matrimonia — inter quos et quomodo illa iniri possint, erga familiam eius ipsam subsistentiam, eius indolem ac regimen. Immo status noc magis interesse, quam Ecclesiae. Ecclesiam vero, quae vindicat sibi competentiam in matrimonia eoque ipso in familiam, velle subtrahere statui iura, quae status nullo modo alicui cedere possit, nam

2⁰ status ex sua natura est ad bonum societatis procurandum. Cum vero fundamentum salusque societatis sit familia atque id, quo familia constituatur (i. e. matrimonium) quomodo posset status curare de bono publico, si ipsi subtraheretur competentia in ea, quae sunt fundamenta salusque societatis? Ecclesia impugnans competentiam status in matrimonia, impugnat iura status ipsi a natura concessa.

3⁰ Praeterea matrimonia ineuntur inter cives status. Si vero statui ex officio curandum est de negotiis longe minoris momenti, quae tractantur inter cives, si haec usui sunt bono communi, a fortiori status habet ius et officium curandi de matrimoniis et familiis suorum civium.

4⁰ Iterum, nemo potest negare matrimonium esse institutionem civilem. Atqui negare status competentiam et iurisdictionem in institutiones civiles esset iam contrarium legibus logicae.

Iam ex his paucis apparet, quod considerando naturam status et relationes ipsius cum matrimoniis, quibus creantur familiae civium, per se sequitur statum ius determinandi inter quos, quibus sub conditionibus et quomodo possint ac debeant iniri matrimonia. Haec autem maxime exprimuntur nomine matrimonii civilis.

Si considerabimus ulterius libertatem conscientiae et iura individuorum, inveniemus iterum non paucas rationes pro sic dicto matrimonio civili.

5⁰ In unoquoque statu cives profitentur varias religiones. Non desunt etiam nullam religionem agnoscentes nullique adhaerentes. Nemo vero habet ius ligandi aliquem contra eius voluntatem aliqua lege disciplinari unius vel alterius religionis. A fortiori his legibus non ligatur status civilis. Propterea nemo potest obligare ad matrimonium religiosum

personas non agnoscentes has leges. Atqui nolentes inire matrimonium secundum praecepta Ecclesiae catholici, vel adherentes alicui alteri confessioni christianae non debent matrimonio privari. Ergo cum nemo alius de eorum sorte curam habet, curandum est statui, ne ipsi in concubinatu vivant.

Item variae religiones tantum inter se differunt, ut nonnullae permitant poligamiam (e. g. mahometani), alii facillimam dissilutionem matrimonii cum iure iterum et iterum nubendi (e. g. protestantes, haebrei etc.) ita ut relictis negotiis matrimonialibus sorti doctrinarum religiosarum oriretur vera anarchia in vita familiari. Oritur necessitas communis disciplinae pro omnibus. Hanc communem disciplinam per institutionem matrimonii civilis procurat status, abstrahendo a disciplinis confessionalibus et considerando cives ut cives, non vero ut asseclas unius vel alterius religionis.

6⁰ Nolentes submittere se disciplinae unius vel alterius religionis cives ipsi insistunt, ut status saltem pro ipsis introducat matrimonium civile. Ecce adhuc una ratio pro matrimonio civili confirmans praecedentem — voluntas civium.

7⁰ Cum matrimonium sit fundamentum familiae, vitalitatis et augmenti nationis, cum iterum propter duas ultimas rationes non potest comitti eius cura alicui soli religioni sine gravi iniuria erga alias religiones et libertatem civium, puritas, sanitas et cura socialis familiae est officium status et societatis civilis. Huic vero rationi accedunt aliae.

Maternitas indiget cura et tutela, numerosis familiis saepe necessarius est succursus materialis. Ecclesia vero harum rerum est incapax, capax autem est status civilis.

Praeterea Ecclesia nullas efficaces sanctiones habet ad tuendam et conservandam familiae integritatem, nam, exempli gratia, nulla efficatia media habet cogendi sua voluntate derelinquentem aliam partem ad eandem redire. Hoc vero medium habet status civilis. Ut autem in varietate opinionum religiosarum status sciat, quibus familiis quibusque in casibus succurendum sit, opus est legislatione communi pro omnibus civibus — opus est matrimonio ad normam legis civilis.

Accedit hic specialis ratio boni prolis. Sine matrimonio civili concubinatus sunt inevitabiles. Ex iis autem nata proles consideratur illegitima, sine propria culpa privatur iuribus, quibus gaudent legitime nati. Status occurrendum est huic malo per matrimonium civile.

Considerando disciplinam Ecclesiae catholicae quoad matrimonia et naturam humanam iterum deducitur necessitas matrimonii civilis.

8⁰ Dantur multi casus (e. g. impotentia subsequens unius partis, morbus insanabilis ut amentia, derelictio ab una parte et allii) in quibus impossibile est permanere in limitibus disciplinae matrimonialis, statutis ab Ecclesia. In his casibus Ecclesia imponit parti innocenti perpetuam continentiam subsistente (secundum doctrinam Ecclesiae) matrimonio. Atqui hoc est contrarium etiam ideae matrimonii, contrarium libertati hominis, nam continendum est contra propriam voluntatem, cuius rei voluntas non est capax, quia talis continentia est contra naturam.

Cum ob has causas in multis casibus sine interventu auctoritatis civilis via aperiatur inumerabilibus delictis, status tenetur huius rei curam habere. Quia vero propter resistentiam Ecclesiae aliqua lex non sufficit, opus est integra institutione civilis matrimonii cum propria legislatione.

9⁰ Sunt, qui secundum proprias doctrinas religiosas (Deuter. XXIV.; Math. V) affirment divortia esse licita sine interventu alicuius auctoritatis. Religio vero catholica, uti supra dictum, hoc non permittit etiam illis, qui sine suo consensu ipsi aggregati sunt; sic Ecclesia punit innocentes, quod est contra principium iuris: — nulla poena sine culpa.

Interveniendum esse statui civili cum propria institutione, non prohibente divortia, qua nemo offendi possit, nam catholicis, cum permittatur hac institutione uti, nullum officium imponatur, ceteris vero nihil innovatur, cum idem illi iam habeant secundum proprias religiones.

10⁰ Dantur casus, in quibus non solim bonum temporale individuorum, bonumque societatis, sed etiam bonum religionis postulat partium separationem. Ecclesia quamvis in his casibus permittat perpetuam separationem, sed eam nonnisi imperfectam — sine iure nubendi alteri. Atqui prohi-

bitio nubendi alteri in his casibus videtur esse plus contra naturam, quam permissio.

11⁰ Ecclesia cum sua disciplina matrimoniali nunquam assequetur, ut matrimonium digne ab omnibus ineatur. Sunt atque erunt, qui cum deficiente matrimonio civili non possint aliud matrimonium inire, nisi religiosum, celebrant matrimonium religiosum contra propriam voluntatem, — ipsum esse sacramentum non credunt, immo id positive in sua intentione excludunt. Atqui secundum doctrinam Ecclesiae tales graviter peccant, non contrahunt matrimonium, propterea remanent concubini. Sic Ecclesia ipsa fit causa gravis mali, cum possit hoc evitare non cogendo servare formam nunc ab Ecclesia praescriptam. Ecclesia enim potest permittere liberam electionem inter celebrationem religiosam et civilem, quod esset neque contra naturam matrimonii, nec contra eius characterem sacramentalem.

12⁰ Matrimonium religiosum fuit ignotum legi mosaicae. Ecclesia catholica illud introduxit ad exemplum usus Romanorum (Cnf. Digest. Ital. Matrim. pg. 1084). Usque ad Concilium Tridentium nullibi erat obligatoria eius celebratio in ecclesia coram sacerdote, immo in nonnullis locis haec libertas permansit usque ad annum 1908. Ex his iam apparet hodiernam Ecclesiae disciplinam non esse talis momenti, ut propter graves rationes negligi non possit. Hoc potissimum facit status, cum permittit celebrationem matrimonii coram officiali civili non curando, ut adhibeatur forma ab Ecclesia praescripta.

13⁰ Etiam nunc non desunt casus (Can. 1098, 1099 § 2) in quibus fideles non tenentur forma a Codice Iuris Canonici praescripta; baptizati acatholici nulla forma tenentur; Papa Pius XI in Concordato cum Gubernio Italiae (art. 34) aequaliter aestimat et matrimonium religiosum et civile. Ex his apparet, etiam statum civilem habere ius ob graves rationes ferre proprias leges quoad matrimonium.

14⁰ Matrimonium civile nunc iam invenitur in plerisque statibus modernis. Ex hoc sequitur, ut matrimonium civile sit postulatus status moderne organizati.

Hoc ultimum argumentum adhibetur a civilistis statuum carentium matrimonio civili.

Apud auctores non tam iuristas, quam potius ordinarios scriptores inveniuntur permultae rationes pro matrimonio civili, quarum numeratio nimis longa atque inutilis esset. Omnes enim respiciunt vel competentiam status, vel bonum societatis, familiae, individui, vel libertatem conscientiae, bonos mores religionemque.

Animadvertendum tandem est fere in omnibus statibus possidentibus matrimonium civile, hanc institutionem introductam esse non probata eius rationabilitate. Solummodo postea, respondendo impugnationibus ex parte catholicorum factis adductae sunt plures rationes, quarum valor apparebit in parte immediate subsequenti huius laboris[38]).

ARTICULUS IV

VERAE CAUSAE IMMEDIATAE MATRIMONII CIVILIS

Uti patet ex iam dictis in hac parte, matrimonii civilis fautores pro eius necessitate adducunt varias rationes. Tamen inquirendo harum rationum aliquod fundamentum doctrinale didum est fundamentum remotum esse enumera-

---

[38]) Hic allatas et multas alias rationes pro matrimonio civili, quamvis aliis verbis expressas invenies:
Digesto Italiano. Matr. relig., Matr. civil, Divorzio civil.
Planiol. Traité de droit civil. t. II Paris 1929.
Pierre Avigdor. Examen critique des tendences modérnes dans le mariage. Paris, 1909.
L. A. Dessaulles. Les erreurs de l'Eglise en droit naturel et canonique sur le mariage et le divorce. Paris. 1894.
D. Santiago, D. Madrazo... Discorsos pronunciados en los cortes constituyentes. 22 - 29, IV, 1870. Madrid 1870.
L. Tillier. Le mariage, sa genese, son evolution. Paris 1898.
M. Lacombe. Une cririque du mariage au XV siècle, Poitiers 1910.
De Amicis. Il matrimonio civile secondo il codice civile. Sala 1892.
Liberatore. Del matrimonio. Napoli 1900.
Liberatore. Il matrimonio civile considerato nella giurisprudenza. Napoli 1900.
Item indirecte i. e. cum critica harum rationum:
Schiapoli. Il matrimonio.
Gagliardi. Apologia del matrimonio.
Dermine. La doctrine du mariage chrétien.
Avogadro. Teorica dell'istituzione del matrimonio.
Bellarminus. De Sacramentis. Matrimonium.
Billot. De Ecclesiae Sacramentis. Romae 1930 — 1932.
J. Perrone. De matrimonio christiano. 1. I s. II. c. IV. a. 2, 3.

tas falsas doctrinas philosophicas; immediatum vero — varias alias causas, quarum principales hic indicare liceat.

1⁰ Secuti falsas doctrinas philosophicas non pauci civilistae hodierni carent principiis religiosis. Atqui his privatus homo incapax evadit cognoscendi tum in se tum etiam in aliis partem supramaterialem, ut ita dicam — divinam. Et se ipsum atque alios considerans uti animalia sollicitus est omnia assequi, quae homo animal appetit. Inde per se omnia odio habet, quae limites ponit egoismo et libidini. En una ex causis s. d. matrimonii civilis et necessario quidem cum divortio et ceteris matrimonii civilis atributis faventibus libertati.

2⁰ Alii vero favent huic institutioni propterea quod non praevident neque student deducere consequentias logicas ex propria doctrina. Recte dicit Avogadro (op. cit. p. II c. 27, 30) multis ex fautoribus libertatis sexualis nec in mentem venisse funestas consequentias ipsorum doctrinae; ceteroquin ipsi fuissent perteriti malitia propriae culpae. (De illis loquitur David Propheta dicens: „comprehenderunt me iniquitates meae et non potui ut viderem" Psl. XXXIX, 13).

3⁰ Item ex defectu religionis naturaliter oritur timor cuiuscumque difficilioris obligationis; praesertim illos potius allicit desiderium libertatis, egoismus, Atqui quam parum his omnibus potest satisfieri in familia ordinata secundum doctrinam Ecclesiae, quot autem in ea officia et quantum oneris.

4⁰ Accedit non semel ante omnia odium Ecclesiae et omnium quae ab ea docentur et deffenduntur. Quoties solummodo iam post factum usurpationis competentiae Ecclesiae adductae sunt rationes boni communis, libertatis civium, suverenitatis status civilis, saepius vero simpliciter non probata rationabilitate ab usurpatoribus „Solemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut, honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro iniuria[39]).

---

[39]) P. Leo XIII Lit. Enc. Arcanum.

5[0] Denique non est praetermittenda alia causa — scilicet defectus cognitionis eorum, quae unicuique legislatori cognoscenda sunt. Plerique (si theorias inspicies) vel potius omnes (si factum consideres) civilis matrimonii fautores reiciunt valorem legis naturae, legis positivae divinae, legis canonicae. Ex hoc necessario sequitur error tum respiciens naturam hominis, tum matrimonii. Ea vero, quae Ecclesia docet de his principiis, legislatoribus civilibus saepe saepius nec nota sunt nec ipsi ea examinant; alii — quia a priori dispositi sunt reicere omnia, quae ab Ecclesia proponuntur, alii — quia confundunt intelligentiam cum temeraria praesumtione propriae infallibilitatis, reliqui vero, quamvis nomen catholicorum retineant, instructi in scholis positivistarum, potius ex negligentia ignorant doctrinam propriae Ecclesiae, cui adhaerent et quam agnoscunt. Illi agnoscentes tum ius divinum, tum ius Ecclesiae, non satis perspiciunt, quinam istius iuris sit valor, aut ubi sint limites inter competentiam Ecclesiae atque status civilis.

Hic adductae aliaeque similes causae sunt fontes ex quibus exurgunt falsa principia iuridica de competentia exclusiva status civilis in matrimonia, uti in contractum mere civilem, de competentia status per se regendi omnia, quae nexum habent cum proprio fine, de absolutismo status, quem communiter cum ceteris omnibus civilistis Paciffici Mazzoni sic exprimit: „Il dovere del cittadino di essere ossequente alla legge è assoluto: lo lega cioè sempre e perquanto ingiusta, iniqua e persino contraria alle sue credenze religiose egli reputa che sia la legge“[40]).

„Lo stato è di se stesso e di pieno diritto persona giuridica... tutte le altre persone giuridiche debbono essere riconosciute per tali dallo stato“.

„Eccetto lo stato, la estensione e i limiti della capacità d'ogni persona giuridica, sono determinati da quello (dallo stato)...[41]).

---

[40]) Istituzioni di diritto civile italiano. Ediz. 4. vol. I. pg. 93.
[41]) Ibidem vol. II. pg. 234, 240.

PARS SECUNDA

AESTIMATIO MATRIMONII AD NORMAM LEGUM CIVILIUM

CAPUT PRIMUM

STATUITUR VERA DOCTRINA DE MATRIMONIO

Priusquam pereveniamus ad directam aestimationem matrimonii civilis, opus est exponere saltem principia fundamentalia doctrinae catholicae de matrimonio. Nec omnia haec principia hic denuo probanda sunt, nam multa probantur in theologia dogmatica, nonnulla adducuntur iam probata in Ethica, Iure Publico Ecclesiastico vel Philosophia Iuris. Adducimus hic omnia et solummodo illa, quae iuvabunt in capite secundo huius partis creare iustam aestimationem valoris matrimonii civilis. Statuimus hic veram notionem matrimonii, declaramus eiusdem veram naturam, et competentiam Ecclesiae in ipsum.

ARTICULUS I

VERA DEFINITIO MATRIMONII TRADITUR

Canonistae et theologi definiendo matrimonium non considerant vulgi opiniones, sed matrimonii naturum. Illi, quamvis matrimonium non iisdem verbis definiunt, exprimunt tamen easdem naturales matrimonii proprietates. Distinguunt matrimonium in fieri et ni facto esse seu in contractum, quo constituitur coniugalis societas et ipsam coniugalem societatem emanantem ex contractu.

Matrimonium in fieri a canonistis communiter definitur: „Contractus legitimus maris et feminae ad generandam et educandam prolem ordinatus“[42]), vel „Contractus quo vir et mulier iure habiles sese mutuo consociant et coniunguntur in unum et individuum prolis generandae et formandae principium“. Definitiones matrimonii in facto esse variae, sed parum differentes traduntur, prout auctores unam vel alteram matrimonii proprietatem clarius exprimere volunt. Plures theologi et canonistae id definiunt: „Legitima maris et feminae maritalis societas“[43]). Hugon et alii: „Viri et mulieris coniunctio maritalis inter personas legitimas individuam vitae consuetudinem retinens“[44]). Meyer cosiderans solummodo finem primarium matrimonii id definit: „Stabilis coniuctio personarum diversi sexus ad prolem generandam riteque educandam legitime initus“[45]). Notandum est hunc auctorem nihil dicere in sua definitione de unione solummodo inter duas personas, quamvis generaliter auctores concedant matrimonii unitatem et indissolubilitatem sequi ex ipsa matrimonii natura, etiamsi consideremus solum finem primarium matrimonii et impulsum naturae, quo vir et femina attrahuntur uniri d u o s o l i e t p r o s e m p e r.

Proinde definitioni Meyer praeferenda est definitio Dermine dicentis: „Le mariage est une union perpetuelle et exclusive, conclue par contract entre l'homme et la femme en vue de la propagation et de l'éducation covenable de la race...“[46]).

Alii paucis verbis, sed idem exprimunt, uti P. Wernz: „Coniunctio legitima et individua maris atque feminae ad generandam et educandam prolem“[47]). Non pauci suam faciunt definitionem Justinianam[48]). Ceterum in hac varietate definitionum, quae potius solis verbis differunt, omnes concedant ex ipsa notione matrimonii sequi unitatem et indissolubilitatem. Propterea Schiapoli in suo opere „Il matri-

[42]) Cnf. Cappello. De Matrim. p. 3; Martin. De Matrimonio. pg. 8.
[43]) Cnf. Cappello op. cit. p. 4.
[44]) Hugon. De Sacramentis. pg. 736.
[45]) E. Elter. Compendium Philos. Moralis. p. 153.
[46]) Op. cit. pg. 17.
[47]) Ius Decretal. t. IV. pg. 23.
[48]) Cnf. Martin. op. cit. pg. 8; Eichmann. Lehrbuch des Kirchenrechts. 1929 pg. 330.

monio secundo il diritto canonico e la legislatione concordataria italiana" minus recte aut saltem minus clare loquitur cum affirmat ex definitione Modestini et Ulpiani doctrinam canonisticam deduxisse indissolubilitatem matrimonii.

Definitio matrimonii christianorum

Auctores catholici tenentes doctrinam Ecclesiae de charactere sacramentali matrimonii christianorum illud definiunt: „Contractus legitimus maris ac feminae ad generandam et educandam prolem ordinatus, a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectus" vel „Coniunctio legitima et individua maris atque feminae ad generandam et educandam prolem, gratiae spiritualis collativus"[49]). Alii etiam, quamvis diversis verbis, idem exprimunt[50]). Sic statuitur differentia essentialis inter matrimonia baptizatorum et non baptizatorum. Non dicimus matrimonia non baptizatorum privari omni gratia, sed solummodo ea, quae propria est matrimoniis baptizatorum ratione sacramenti.

Matrimonium est contractus. Hoc iam clare apparet ex ipsa definitione matrimoniiė Sed cum non desint negantes matrimonium esse contractum, hac de re saltem pauca dicenda sunt.

Quid sit contractus. Communiter a canonistis contractus stricto sensu ita definitur: „Legitimus consensus, duarum vel plurium personarum iure habiluim in idem placitum obligationem inducens in utraque parte ex iustitia commutativa aliquid praestandi, vel faciendi, vel omittendi"[51]).

Ex hac notione contractus possunt deduci eius **elementa essentialia,** nempe: materia apta, personae iuridice habiles, causa finalis, consensus et forma externa, seu legitima consensus manifestatio (Cnf. Cappello op. cip. pg. 21). Considerando nunc obiectum materiale et formale matrimonii, modum quo ipsum initur, clarum est matrimonium esse contractum. Considerando autem varias specificas divisiones

---

[49]) Cnf. Cappello. op. cit. pg. 3; Vidal. Ius matrimoniale. pg. 16.
[50]) Cnf. Rosset. De Sacram. matr. pg. 21...; Martin. op. cit. pg. 11.
[51]) Wernz-Vidal. Ius matrim. p. I. § IV; Gasparri. De Matrim. p. I pg. 14.

contractus, conludere licet matrimonium esse contractum privatum, personalem, translativum iuris, expressum, promissorium, absolutum.

Inter catholicos sunt perpauci negantes matrimonium esse contractum. Ratio, quare nonnulli hoc negant, haec est, quia existimant sic melius defendi posse exclusivam competentiam Ecclesiae in matrimonia christianorum. Eorum sententiam reprobat Card. Gasparri, uti non conformem doctrinae Ecclesiae[52]). Civilistae vero negant matrimonium esse contractum, quia notionem vel contractus vel matrimonii pervertunt[53]).

C. J. C. in Can. 1912 clare pronuntiat matrimonium esse contractum ac propterea contraria opinio catholicorum iam ex multiplici capite sustineri non potest.

ARTICULUS II

NATURA MATRIMONII

a) **Origo matrimonii.** Uti certa tradimus ea, quae passim narrantur in libris Sacrae Scripturae. Secundum Pentateuchum, et libros historicos, quos uti divinitus inspiratos tenemus, duo primi homines immediate sunt creati a Deo, omnium aliarum rerum creatore: corpus viri ex limo terrae, corpus autem mulieris ex viro, anima utriusque a Deo ispirata. Hi duo a Deo uniti sunt in consortium communis vitae ad procurandos alios sibi similes et dignos regere mundum (Gen. 1, 27; 5, 1 - 2; 2, 21 - 22; Math. 19, 4 - 5). Primum matrimonium et prima familia sunt instituta immediate ab auctore mundi, ceterorum vero hominum matrimonia et familiae sunt instituta item a Deo eo sensu, quod Deus dedit hu-

---

52) De Matrim. p. I, pg. 14.

53) Sic v. g. in Digesto Italiano sub voce Matrimonio (Diritto civile n. 13). Quamvis in eodem Digesto Ital. sub voce Contratto (n. 91) alius auctor dicit: „Che la societa matrimoniale origini dal contratto, ormai non vi dovrebbe essere dubbio di sorta... La sostanza dell'atto, anche nel matrimonïo religioso é sopratutto contrattuale e principalmente contrattuale: e non potrebbe essere diversamente, fine a che si richiedesse il consenso delle parti come essenziale. Cnf. etiam De Ruggiero op. cit. vol. II, pg. 62.

manae naturae inclinationem faciendi idem, quod Deus fecit cum primis hominibus. Primum matrimonium fuit monogamicum et duravit usque ad mortem utriusque partis, nam mortuo uno ex primis hominibus, alteri Deus non dedit novum consortem pro reliqua parte eius vitae. Nec posteris Adam exemplo Creatoris secutis aliud matrimonium notum erat, nisi monogamicum et usque ad mortem duraturum. Exemplum relictum a Creatore matrimonii manogamici primus violavit Lamech — progenies Cain (Gen. 4, 19).

Per saecula genus humanum propagatum erat. Sed cum nequitia et contemptus voluntatis divinae in homine post peccatum non semel fortior esset, quam intellectus et conscientia, prava exempla et peccata tantum incrementum fecerunt, ut paulatim hominum malitia ingens evasit, et cuncta cogitatio cordis intenta fuit ad malum omni tempore (Gen. 6, 5). Deus decrevit delere genus humanum. Quamvis pauci, tamen etiam illo tempore non defuerunt homines vitam degentes secundum placita Creatoris. Praeter alios laudatur Noë, cum suis tribus filiis, qui omnes invenerunt gratiam coram Domino (Gen. 6, 8). Quod nostram quaestionem attinet, notandum est Noë suosque filios vixisse in matrimonio monogamico (Gen. 6, 18; 7,7).

Elapsis multis saeculis post diluvium homines per universam terram dispersi sunt. Per longum tempus iterum obliti sunt non solum mandatorum Dei, sed etiam ipsius Dei. Prae ceteris omnibus Deus elegit Abraham, virum timentem Deum, ad adimplendas in eius posteris promissiones datas primis hominibus. Iterum notandum est Abraham unam uxorem habuisse, nec alteram quaesivisse usque ad mortem prioris. Cum Agar relationes habuit solummodo instante sua uxore Sarai, et proles nata ex Agar non ipsi relinquenda, sed assumenda erat in suam a dimona eius Sarai (Gen. 16, 1 - 3). Filii Abraham — Esau et Jacob uterque violavit primariam traditionem matrimonii monogamici propter quod prior non laudatur in Sacra Scriptura (Gen. 25, 34 - 35; 28, 6 - 9), alter vero punitur sterilitate alterius uxoris (Gen. 29). Nec oblivioni tamen datur primaevus monogamicus character matrimonii. Sic Joseph, quamvis in regione paganorum viveret, unam uxorem Aseneth habebat (Gen. 41, 45). Moyses natus est ex matrimonio monogamico (Exod. 2, 1), ipse etiam unam

uxorem habuit (Exod. 2, 21; 4, 20). Ex quo concludere licet traditionem de matrimonio monogamico et indissolubili usque ad mortem nunquam oblivioni datum esse.

Fatemur quidem lapsu temporis matrimonium monogamicum disparuisse tum apud paganos, tum etiam apud Hebraeos, quod tamen nihil dicit contra nostrum assertum, nam polygamia ubique in mos venit cum degeneratione mentis et cordis hominum, cum propter egoismum viri, uti fortioris, mulier privata esset iuribus tum uxoris, tum hominis (Cnf. Ester 2, 12 - 14; 4, 10 - 11). Uti apud paganos, sic etiam apud Judaeos cum polygamia nascitur aliud vitium — repudium seu dimissio uxoris.

Haec omnia narrantur in Sacris Scripturis, quod nobis duplicem valorem habet: quia Sacrae Scripturae divinitus inspiratae sunt et quia, ipsis adversariis fatentibus, narrata in Sacra Scriptura quotidie magis confirmantur archeologicis studiis uti historica.

Matrimonium christianorum. Cum venisset Salvator mundi et sapientissimus Reformator morum ac vitae generis humani, non potuit amplius tolerari degenerata matrimonii disciplina. Polygamiam, novas nuptia dimissa priore uxore Christus clarissimis verbis aequiparavit adulterio, propter quod, secundum legem Hebraicam, reus lapidandus erat (Deut. 22, 20 - 21; Levit. 20, 10; Joan. 8, 5). Secundum doctrinam Christi, sananda erat depravatio morum populi Hebraici restituendusque matrimonio eius conceptus ac proprietates primaevae — scilicet unitas et indissolubilitas (Cnf. Math. 5, 31 - 32; 29; 3 - 9; Marc. 10, 2 - 12; Luc. 16, 18). Praeterea Christus Dominus contractum matrimonialem exaltavit ad dignitatem sacramenti. Quamvis theologi et canonistae posteriorum temporum non sint unanimes vel potius nesciant, quando hoc sacramentum institutum sit, nullus tamen eorum aliter unquam docuit. Nec ullum dubium adesse potest, quin matrimonium a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatum sit, cum haec doctrina, ut certa habita sit Christo adhuc in terra degente. S. Paulus (Ephes. 5, 33) de hac veritate non loquitur ut de aliqua doctrina recenti, sed ut de re certa, omnibus fidelibus nota. Nec ulla controversia esse potest apostolos scivisse et tempus et modum institutionis huius sacramenti.

Immediati apostolorum successores — Patres Ecclesiae quamvis de hac quaestione tractatus dogmaticos ex professo non composuerint, tamen ex eorum scriptis concludero licet hanc doctrinam ipsis fuisse communem, continuam; non aliquam theoriam recentem, sed traditam ab apostolis[54]). Hic notandum est ad habendam genuinam doctrinam Patrum Ecclesiae de matrimonii natura non esse satis considerare aliquem eorum separatim a ceteris, nec aliquem locum unius vel alterius, sed singulas omnium sententias simul conferendas esse.

Item Romani Pontifices a primis saeculis usque ad sanctae memoriae Papam Pium XI, quoties locuti sunt de natura contractus matrimonialis, toties docuerunt eum esse sacramentum. Tandem haec doctrina est definita uti veritas infallibilis. (Trid. sess. 24; Conc. Florent. Decretum ad armenos). A temporibus apostolorum usque ad nostra tempora non defuerunt erroneam doctrinam propagantes de natura matrimonii, contra quos omnes Ecclesia semper eandem veram doctrinam proponit et defendit, theologi vero eam variis apodicticis argumentis probant[55]). Item contra nonnullos erronee docentes[56]), affirmamus Ecclesiam non adoptasse doctrinam legislationemque Veteris Testamenti et Romanorum, sed in multis, ut etiam in disciplina matrimoniali, Ecclesiam a temporibus Christi semper habuisse pro-

---

[54]) Tertullianus. Ad uxorem l. II, c. IX — P. L. I
Siricius P. Ep. I ad Himer. Tarrc. c. IV — P. L. XIII
S. Innocent. I Ep. XXXVI — P. L. XX
S. Augustinus. De bono coniugali c. CXXIV — P. L. XL
„ In Joan. tr. IX n. 2 — P. L. XXXV
„ De nupt. et concup. c. X n. 11 — P. L. XLIV
S. Ambrosius De Abraham L. I. c. 7. — P. L. XIV
„ Ep. ad Syricium P: — P. L. XVI
„ Ep. XIX ad Vigilium. — P. L. XVI
S. Ignatius. Ad Polycarpum c. 2 — P. G. V
Origenes. In Math. t. XIV n. 16 — P. G. XIII
S. Cyrilius. Alx. In Joan. 1 II, II 1-4. — P. G. LXXIII
S. Basilius Exameron. Hom. VII, t. I. — P. G. XXIX
S. Gregor. Naz. Ep. 193 ad Procopum. — P. G. XXIX

[55]) Bellarminus. De matrim. c. 1 - IV; Hugon. t. III, pg. 90 - 91, 738 - 739.
Billot. De Ecclesiae Sacramentis. Thes. XX, XXXVI, XXXVII, XX.

[56]) Cnf. Schiapoli. Op. cit. pg. 61.

priam doctrinam non semel contrariam legibus Veteris Testamenti et Romanorum[57]). Quamvis apud Patres Ecclesiae ex professo non tradatur e. g. doctrina de impedimentis, sed ex variis locis in eorum scriptis colligi potest fere integra et Ecclesiae propria doctrina de hac re[58]); forma ecclesiastica (seu liturgica), quamvis usque ad Conc. Tridentinum non esset obligatoria ad matrimonii validitatem, semper tamen commendata est, semper et severis verbis increpantur eam omittentes[59]). Tandem Ecclesia, quantum in ipsius potestate erat, iam a primis saeculis sibi vindicat causas matrimoniales baptisatorum contra voluntatem principum saecularium[60]). Sic paucis verbis retulimus ea, quae fuse tradunt de matrimonio christianorum theologi, canonistae atque historici.

Ex omnibus narratis in hoc capite concludimus:

1⁰ primum matrimonium fuisse institutum a Deo, ubi primum creati sunt primi homines;

2⁰ hoc matrimonium fuisse monogamicum et indissolutum mansisse usquae ad mortem primorum hominum[61]);

3⁰ polygamiam et repudium uxoris, quamquam serius valde diffusa, nunquam a Deo positive permissa fuisse[62]);

4⁰ unicuique homini, libero avitiis et perversitate, innesse naturalem inclinationem ad matrimonium monogamicum et duraturum per totam vitam;

5⁰ theorias de origine matrimonii differentes ab his conclusionibus carere omni fundamento.

b) **Finis matrimonii.** Contra theorias atheorum finem matrimonii nos ponimus in omnimodo mutuo viri et uxoris adiutorio et in condigna generis humani propagatione, quae consistit in prolis generatione et physica, morali ac rationali eius educatione. Ex fine matrimonii sequitur parentum esse curam propriam prolem ita educandi, ut ipsa evadat idonea non solummodo vivere, sed secundum conditiones proprii status, utilem esse cum sibimetipsi, tum societati. Haec sen-

---

57) Math. 5, 21; Marc. 10, 7-10; Luc. 16, 8, 18; Math. 19, 5, 7-10; I Cor. 5, 1-9...; 71, 7...; II Cor. 6, 14.

58) Wernz. t. IV p. II, pg. 91.

59) Freisen. op. cit. § 16; A. Knecht. op. cit. pg. 601.

60) Lemair Réné. Le mariage civil. Paris 1901 pg. 1-40.

61) Trident. sess. 24; P. Leo XIII. Lit. Enc. Arcanum; P. Pius XI Lit. Enc. Casti Connubii.

62) Cnf. P. Vidal. De Matrimonio. pg. 23.

tentia est communis omnibus tenentibus veram doctrinam de origine et natura hominis. Ipsa vero probatur: 1) argumento ex Sacra Scriptura. Cum Creator hominum dixisset primis hominibus: „Crescite et multiplicamini" (Gen. 1, 28), non potuit intendere alium finem, quam supra indicatum. Non potuit intendere solam generationem, aut generationem cum sola physica educatione, sed formationem hominum talium, quales fuerunt creati a Deo primi homines, i. e. plene adulti tum physice tum spiritualiter.

Deus autem ad formandam prolem generatam in familia nullam aliam institutionem reliquit praeter familiam. Ergo illud divinum mandatum adimplendum est familiae, quae formatur per matrimonium.

2) Haec etiam est continua doctrina Ecclesiae, tradita a summis Pontificibus, a Consiliis, Theologiae et Iuris Canonici Doctoribus, recenti vero tempore, uti doctrina unice vera, expressa etiam in Codice J. C.: „Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis" Can. 1013 § 1 [63])

3) Idem etiam probat ratio. Ille est finis proprius matrimonii, ad quem matrimonium est medium aptum et necessarium. Atqui ad condignam generis humani propagationem matrimonium est medium aptum et necessarium. Maior clara apparet ex principio phylosophico: omnem rem sua natura ordinari ad id, ad quod ipsa est medium aptum et necessarium.

Minor probatur ex tradita definitione matrimonii. Matrimonium enim consideratum, ut unio perpetua et exclusiva inter virum et mulierem, esse medium aptum ad condignam generis humani propagationem est extra controversiam. Pariter affirmandum est de necessitate matrimonii, ut idem finis assequi possit. Usque adhuc non est inventus, nec unquam invenietur alius modus aequaliter aptus ad formandum hominem cum physice tum spiritualiter praeter familiam[64]). Hoc ultimum assertum esse verum, consideramus esse extra controversiam. Ex hoc vero clare iam apparet matrimonium esse medium aptum et necessarium ad condignam generis humani propagationem, proinde natura sua ad id ordinari, uti ad finem sibi proprium.

---

[63]) Cnf. etiam P. Pii XI lit. Enc. Casti Connubii.
[64]) Conf. Elter. op. cit. Thesis 23.

c) Statutis notione, origine, et fine matrimonii, cum consideramus ipsum ut contractum, animadvertendum est illud non esse aequalem ceteris contractibus. Cum nos tractaturi simus de matrimonio christianorum, indicanda sunt ea, in quibus convenit quibusque differt contractus matrimonialis baptizatorum a ceteris contractibus[65]). Concordat cum ceteris, quod in contractu matrimoniali duo concordant de eodem. Differt vero:

1⁰ Sua origine, quia positive a Deo institutus est.

2⁰ Ratione finis, qui est determinatus ab ipso Creatore, nec a contrahentibus excludi potest.

3⁰ Est sacer ex natura (ex origine et fine).

4⁰ Ratione facultatis contrahendi, nam iniri potest solummodo inter personas diversi sexus.

5⁰ Ratione obiecti, quod in contractu matrimoniali coniuges se ipsi invicem tradunt.

6⁰ Ratione proprietatum ex natura huic contractui inhaerentium, quae sunt unitas et indissolubilitas.

7⁰ Ratione efficatiae. Traduntur iura in proprium corpus determinata a natura, nec voluntate contrahentium haec iura limitari possunt. Et sic unaquaeque pars, quoad certa iura in proprium corpus, sibi iam non pertinet.

8⁰ Ratione dominii dati et accepti. Sicuti ante matrimonium non potuit ad libitum disponere de suo corpore, sic et post contractum, quoad nonnullas res ipse pertinet ad alium; in corpus vero alterius tantum potest, quantum ipsi conceditur a natura, et invicem nec mutuo consensu corporibus abuti possunt.

9⁰ Ratione effectus. In aliis contractibus oritur obligatio iustitiae et aequitatis, in hoc vero — etiam obligatio caritatis et quidem specialis.

10⁰ In contractu matrimoniali defectus consensus a nullo supleri potest.

11⁰ Contractus matrimonialis baptizatorum est sacramentum.

---

[65]) Wernz. Jus Decretalium. t. IV, pg. 4.
Martin. op. cit. pg. 373.

ARTICULUS III

COMPETENTIA ECCLESIAE IN MATRIMONIA BAPTISATORUM

Priusquam directe probetur Ecclesiae competentia in matrimonia baptisatorum, nonnulla principia ex Jure Publico Ecclesiastico in memoriam revocanda sunt, nempe quod[66]):

1⁰ Ecclesia est superior omni alia societate;

2⁰ Ecclesia, uti societas perfecta, habet ius exigendi, ut socii omnia media adhibeant, quae necessaria sint ad finem plene consequendum;

3⁰ Ecclesia sola habet ius in rebus sacris et religiosis;

4⁰ In rebus mixtis Ecclesia liberam atque independentem habet potestatem;

Haec principia statuimus, ut certa et probata sive a theologis, sive a Doctoribus Juris Publici Ecclesiastici. His praemissis probabimus ius regendi matrimonia baptisatorum penes Ecclesiam esse[67]).

Primum argumentum. Abstracto etiam charactere sacramentali, omne matrimonium est sacrum et religiosum ex sua natura (origo, finis), regitur iure divino naturali et positivo. Atqui regere negotia sacra et religiosa baptisatorum spectat ad Ecclesiam. Praeterea ex institutione divina penes Ecclesiam est munus invigilandi et declarandi iura divina naturalia et positiva. Ergo Ecclesia est competens regere matrimonia baptisatorum[68]).

Secundum argumentum. Praeterea obiectum matrimonii sunt corpora contrahentium. Homo autem non habet

---

[66]) Cnf. F. Cappello. Jus Publicum Ecclesiasticum. Romae 1932. F. Cappello. Chiesa e Stato. Cavagnis, Institutiones Juris Publici Eccles. Romae 1906. Perrone. De Matrimonio christiano. L. II, sect. I, c. I, a. 163.

[67]) Wernz. Jus Decretal. t. IV, pg. 73; Gasparri. op. cit. t. I, pg. 19; F. Cappello. De Matrimonio, a. VIII; Wernz - Vidal. Jus Matrimoniale. c. II; Rosset. De sacramento matrimonii. pg. 56 - 59; Haüser. De potestate statuendi impedimenta... pg. 69.

[68]) Cnf. P. Pii VI Litt. ad Episcop. Apriensem 1789 die 7 febr; Avogadro. op. cit. p. II, pg. 25 probat indolem sacrum matrimonii ex eius resistentia contra continuas impugnationes ex parte adversariorum.

absolutum dominium sui corporis, sed solummodo tantum, quantum ipsi conceditur a Creatore. Ex commisione vero divina solius Ecclesiae est determinare fines huius dominii, quos ipse Auctor naturae in dispositione de suo corpore statuit.

Tertium argumentum. Omne matrimonium inter baptisatos est sacramentum (Can. 1912 § 2). Atqui in rebus huius generis Ecclesia et quidem sola est competens.

Quartum argumentum. Denique matrimonium baptisatorum intur a) inter membra Ecclesiae, b) ad procreanda et formanda non solum membra societatis civilis, sed etiam directe et primario membra Ecclesiae et futuros haeredes regni Dei[69]). Etiam ex hoc capite, ad normam principiorum supra enumeratorum (2⁰, 3⁰) in matrimoniis baptisatorum Ecclesia est competens et quidem independenter ab aliqua alia societate[70]). Nec aliter unquam de competentia Ecclesiae in matrimonia baptisatorum in Ecclesia docebatur[71]).

Pro nostra quaestione tractanda, ex omnimoda Ecclesiae competentia in matrimonia christianorum hic probandum est penes Ecclesiam esse ius statuendi impedimenta matrimonialia atque eiusdem formam. Id vero probatur multiplicibus argumentis.

1⁰ Matrimonium est contractus non solum individualis, valoris et ponderis, non est contractus mere civilis, quia est sacer tum ex natura, tum ob characterem sacramentalem. Iste contractus propterea debet iniri inter tales personas et talibus sub condicionibus, ut correspondeat proprio fini et suae indoli sacrae. Ex his faciliter deducitur ius Ecclesiae determinandi conditiones atque statuendi impedimenta.

---

69) Cnf. Litt. Enc. Casti Connubii.

70) Ceterum cnf. Roskovany. Matrim. in Eccles. cath. vol. 1, pg. 25.

71) Cnf. S. Ignatius. Ep. ad Polycarpum c. 5 P. G. 5
S. Iustinus. Appol. maior. n. 15 P. G. 6
Athenagoras. Legatio pro christianis n. 32, 33
Hadrianus. Ep. 44
Nicolaus I. Ep. 7, 16, 20, 21 P. L. 119
Tridentinum. sess. 24
P. Pius VI. Constit. Arcanum Fidei,
P. Pius IX. Sylab. propos. 65, 68, 69; 70, 71, 74.
P. Leo XIII. Lit. Enc. Arcanum.
P. Pius XI. Lit. Enc. Casti Connubii; C. J. C. Can. 1016
Ceterum vide: Heuser. De potest. statuendi impedimenta soli Ecclesiae competenti. Lovaniis, 1933.

Item hic contractus ineundus est tali modo, ut eius validitas et existentia non possit affirmari vel negari ad libitum partium, sed ut pateat omnibus, quorum interest. Hunc modum pro re sacra determinare est Ecclesiae. Aliis verbis — determinandi formam matrimonii est ius Ecclesiae.

2⁰ Nemo potest negare nonnulla impedimenta matrimonialia esse statuta ab ipsa lege naturae, uti e. g. inter personas eiusdem sexus, inter utrumque vel alterutrum impotentem, inter infantes ante usum rationis, inter genitores et propriam prolem etc. Quousque vero extenduntur impedimenta iuris naturae, determinative non constat. Hoc declarandum est, vel saltem cavendum, ne lex naturae violetur, ei, cui hoc commissum est.

Atqui haec est Ecclesia. Ergo Ecclesia habet ius statuendi conditiones ad contrahendum matrimonium.

3⁰ In hoc contractu agitur de iuribus in corpora contrahentium. Atqui, uti paulo ante dictum est, Ecclesiae est iudicare inter quos et quibus sub conditionibus haec mutua traditio iurium fieri possit, ut contractus correspondeat proprio fini.

4⁰ Ecclesia, uti societas perfecta et supernaturalis, debet ea potestate gaudere, quae impedit gravissima inconvenientia in animarum salutem et publicam fidelium prosperitatem. Atqui potestas statuendi impedimenta et formam ordinatur ad removenda illa inconvenientia, quae ex inconsideratione vel praepropera, faciliori, clandestina matrimoniorum celebratione provenirent (Hugon. op. cit. t. III, pg. 771).

Omnibus, impugnantibus Ecclesiae competentiam statuendi impedimenta et formam contractus matrimonialis, breviter respondimus.

Cum matrimonium sit contractus sacer atque religiosus, et cum nemo neget competentiam status civilis statuendi conditiones et formam pro valore vel liceitate contractum civilium, a fortiori haec competentia in contractus matrimoniales non potest negari Ecclesiae, nisi clare pateret hanc competentiam Ecclesiae a Deo revocatam esse. Atqui hoc non constat.

Ecclesiam semper consciam fuisse huius competentiae patet ex continua praxi Ecclesiae. Iam a primis saeculis Ec-

clesia quamvis non obliget, uti nunc est, tamen commendat, ut matrimonia ritu religioso celebrentur. Item a primis saeculis Ecclesia pro contractu matrimoniali fidelium statuebat propria impedimenta non respiciens leges civiles[72]). Sic impotentia saltem unius partis existimata est semper ut impedimentum dirimens; impedimentum aetatis antiquitus fuit conforme iuri Romano; impedimentum disparitatis cultus erat contrarium legi civili, secundum quam primis Ecclesiae saeculis hoc impedimentum non existebat, a Constantino Imperatore vero existebat inter christianos et haebreos, non vero inter christianos et paganos. Ecclesia autem semper prohibebat matrimonia etiam inter christianos et paganos; impedimentum temporis clausi nunquam fuit notum legi civili, notum vero est ab antiquis temporibus Ecclesiae; violare impedimentum voti, quamquam usque ad Decretum Gratiani non fuit exacta divisio inter species votorum, semper considerabatur ut grave delictum (S. Ambrosius nuptias virginis consecratae postponit adulterio Herodis: De Virgin. c. II, a. IV; S. Joannes Chrysostomus eas posponit adulterio: Ep. 2 ad Theod.). Antiquitus in Ecclesia prohibebantur matrimonia sine parentum consensu; impedimentum consanguinitatis est notabiliter differens a dispositionibus legis civilis; pro violatione impedimenti affinitatis iam Concilium Elviritanum (an. 305) statuit poenam excomunicationis; impedimentum consanguinitatis spiritualis fuit notabiliter extensior hodierno impedimento cognationis spiritualis; arcebantur matrimonio publice poenitentes propter nonnulla graviora delicta. Nunquam vero potuit celebrari inter complices adulterii, incestus, inter raptam et raptorem.

Verum est haec impedimenta orta esse non omnia simul, variis temporibus et variis in locis disciplinam non fuisse eandem, tamen haec non debilitant nostrum assertum. Immo confirmant, nam haec iam probant Ecclesiam semper persuasam esse de propria potestate tum nova impedimenta statuere, tum antiqua revocare, tum existentium speciem mutare[73]).

---

[72]) P. Leo XII. Lit. Enc. Arcanum.

[73]) De historia impedimentorum ampliter tractatur apud Freisen op. cit. § § 28 - 63;
item apud Card. Lepicier. De Matrimonio, pg. 212... (de impedimento voti).

CAPUT SECUNDUM

VERA AESTIMATIO INSTITUTIONIS MATRIMONII CIVILIS

Traditis doctrinis civlistarum, statutisque principiis fundamentalibus de vara notione matrimonii et iure Ecclesiae in ipsum, remanet tandem examinandus valor institutionis matrimonii civilis in se ipsa spectatae, abstrahendo a valore doctrinarum quae huic institutioni fundamentum, ut ita dicam, philosophicum et religiosum pusuerunt. In hac parte considerabimus valorem civilis matrimonii respiciendo naturam matrimonii, ius Ecclesiae, rationes allatas pro matrimonio civili effectusque, qui per se sequuntur ex ipso.

Imprimis existimamus in memoriam revocanda esse nonnulla principia, quae nobis sunt extra controversiam:

a) existere Deum,

b) dari legem aeternam, quae existimanda est ut lex divina praeceptiva,

c) legem aeternam esse causam et fundamentum aliarum legum, propterea quamcumque legem debere esse conformem legi aeternae — naturali,

d) hominem, priusquam teneatur lege status, teneri lege naturali — divina, quam statui ignorare non licet,

e) hominem non posse legem naturae nec supprimere aut mutare aut in ea secum dispensare.

Ex his apparet hominem non posse esse indifferentem erga Deum, erga eius legem naturalem et positivam, nequae posse indifferentem esse erga proprium finem, immo omnia debere homini inservire ad hunc finem attigendum. Has leges observare et ad finem tendere tenentur non sola individua, sed, cum ex individuis colligitur societas, status etc., ad quod tenentur singuli, ad id tenentur quoque omnes simul. Eo magis ad id tenetur status, qui etiam creatur non ad alium finem, quam adiuvandi cives ut ipsi assequerent ea, ad quae ipsi creati sunt. Proinde statui non licet esse indifferentem erga Deum eiusque legem. Cum vero sacra et religiosa spectant ad Ecclesiam, terrena vero, quae ex sua natura ordinantur ad inserviendum negotiis sacris et religiosis, spectant ad

statum, statui non licet esse indifferentem etiam erga Ecclesiam. Et uti individua - cives, status tenentur ad cognoscendam legem divinam et ecclesiasticam (nam ignorata nec observari posunt), ita quoque ei, qui statui praeest, probe notam esse oportet legem divinam, cui leges status conformes esse debent. Pariter cognoscenda sunt ea, quae spectant ad statum, quae vero ad Ecclesiam. En quare Moyses (Deut. 17) iussit reges cognoscere legem, ne ipsi pro delictis et erroribus nescientia se excusarent. „Decet, ut ait S. Bellarminus, ut princeps in omni lege divina servanda exemplo suo populum praecedat“[74]). Cum omnis potestas a Deo sit, fundamentum potestatis principis in cives et obligationum civium erga principem Deus est, princeps non solum ipse abstinere debet et manus et cor et linguam ab omni malo, sed debet vigilare ut etiam omnes subditi eius ab illo abstineantur[75]). Societas, etiam civilis, significat non inordinatam agregationem personarum, sed etiam, immo principaliter communitatem. Et cum coniunctio inter homines firma esse neuqueat, nisi homines coniungantur cum suo Auctore, leges positivae humanae nec excludere, nec negligere possunt leges divinas. Societas enim civilis debet inservire prosperitati et virtuti populi; at cum Cicerone dicimus: „si emolumentis, non suapte natura virtus expetitur, una erit virtus, quae malitia rectissime dicitur[76]).

ARTICULUS I

MARIMONIUM CIVILE BAPTISATORUM RELATE AD IPSAM NATURAM MATRIMONII

His positis examinandum iam est, quomodo lex civilis matrimonii se habet ad matrimonii naturam. Ut ait Card. Billot[77]), matrimonium ut in naturae officium, quamvis non est in sua entitate sacrum, sed uti iam supra demonstatum est, quodcumque matrimonium est sacrum duplici ex ratione

---

[74]) De officiis Principis Christiani, pg. 3.
[75]) S. Bellarminus. ibid. pg. 9, 10.
[76]) De Legibus. L; l. c. 18.
[77]) Op. cit. pg. 454.

— sua origine et suo fine. Matrimonium autem baptisatorum est sacrum adhuc tertia ex ratione — propter characterem sacramentalem. Atqui baptisatorum negotia sacra et religiosa, sive ex natura, sive positiva Dei institutione, spectant ad Ecclesiam, non amplius ad statum. Propterea cum status civilis sua lege statuat vel impedimenta, vel formam ad valorem matrimonii baptisatorum, vel praesumit iudicare de validitate vinculi iam contracti, transgreditur limites suae competentiae determinatas a natura, cum leges ferat de re, quae sua natura ad competentiam status civilis amplius non pertinet. Nec dicas statum non considerare matrimonium ut sacrum, nam tunc priori errori additur alter, quia tentatur pervertere ipsam naturam matrimonii. Nec hoc satis est. Negata sanctitate matrimonii, negatur sanctitas eius finis; ex hoc sequitur perversa idea de ipsa natura hominis, practice autem evertitur ipsum ius naturae, nam relicto in matrimonio solo charactere profano legislatio civilis de essentialibus matrimonii evadit tam parum conformis, ut quod in una regione permittitur, idipsum in alia pro crimine habetur e. g. divortia etc. Sic initio in mente solius legislatoris, postea paulatim etiam in populo evanescit omnis conceptus legis et remanet solum principium: „id bonum est, quod mihi placet“. Haec omnia continentur per se in idea matrimonii ut contractus civilis. Si enim matrimonium nihil aliud est nisi contractus civilis, non potest negari conpetentia status permittendi, immo etiam obligandi, ad huius contractus dissolutionem. Numquid posset talis contractus dissolvi solo consensu partium? Considerato onere, quod imponitur partibus hoc contractu, audemus concludere, usque adhuc adductas rationes pro incompetentia partium ex mutuo consensu dissolvendi contractum matrimonii civilis non esse sufficientes, pro competentia autem adesse multas et graves. Unica ratio negandi dissolutionem talis vinculi ad libitum partium sunt absurdae consequentiae. Consequentiae autem sunt absurdae, quia ipsum principium contractus matrimonii civilis est absurdum. Proinde in matrimonio ut contractu civili fundamentum indissolubilitatis unitatisque matrimonii tollitur. Sic spoliato matrimonio sua dignitate naturali, perversa ipsius notione neglectisque essentialibus proprietatibus non est difficile perspicere, quomodo matrimonium civile impediat

essentialem et primarium finem matrimonii i. e. dignam propagationem generis humani. Ad supportandum onus, quod imponitur partibus in matrimonio ex primario euis fine, etiam in omni sua dignitate consideratum matrimonium non semper est capax movere coniuges ad rite observanda ea, quae imponit hic status. Tanto magis partes evadunt incapaces ad onera matrimonii fideliter adimplenda, cum iam ipsum matrimonium privetur omni charactere superiore et ponitur in aequali gradu cum ceteris quotidianis negotiis civilibus. Sic matrimonium privatur principali ratione pro partibus ad primarium eius finem prosequendum, i. e. moraliter impeditur procreatio prolis. Accedit altera ratio negligendi hunc finem — matrimonii dissolubilitas. Si non semper, saltem saepe timor separationis est fere invincibile obstaculum generandi prolem. Etiam prole generata haec in matrimonio civili privatur illis, quae ipsi debentur stricto iure naturali. Ex matrimonio civili procreata proles versatur in continuo periculo privari alterutro vel utroque genitore pluribusque in casibus hoc evenit et quidem contra consuetum ordinem naturae, nam non raro genitores derelicta propria prole communi utraque vel saltem alterutra pars init alium contractum matrimonialem. Etiam abstracto a periculo separationis partium proles privatur ea teneritate, qua gaudet ex natura proles nata ex vero matrimonio. Quamvis hoc non ab omnibus conceditur, nihilominus tamen affirmamus vanum esse quaerere eandem teneritatem parentum erga propriam prolem in familia creata secundum leges civiles, quae generatim invenitur in bona familia orta ex matrimonio religioso. Cuius rei causa clarissima est, nam in familia orta ex unione profana ipsa vita communis et proles genita considerantur ut aliquid profanum. In familia vero orta ex matrimonio religioso tum vita communis tum proles procreata considerantur ut sancta. Nec silentio praetereundum est, quod in familia ex matrimonio civili proles semper privatur educatione spirituali et religiosa. Ratio huius defectus evidentissima est, cum iam ipsa origo huius familiae sit rebellio contra disciplinam religiosam.

Proinde cum legibus s. d. matrimonii civilis status necessario excedat a natura determinatos limites propriae competentiae, cum pervertendo notionem matrimonii reducat ipsum ad contractum mere civilem, cum destruat ipsum ma-

trimonium negligendo eius essentiales proprietates et impediendo primarium eius finem, clarum est hanc institutionem contrariam esse ipsi legi naturae, cum destruat naturam veri matrimonii.

Ceterum ad hoc redibimus, cum sermo erit de effectibus matrimonii civilis (in a. IV huius partis).

ARTICULUS II

MATRIMONIUM CIVILE BAPTISATORUM RELATE AD IURA ECCLESIAE

Jam ante supponuimus certam esse divinam Ecclesiae missionem eiusque superioritatem relate ad alias omnes societates. Nunc est examinandum, quomodo se habeat institutio matrimonii civilis pro baptisatis relate ad iura et disciplinam Ecclesiae.

Uti iam dictum est, matrimonia baptisatorum, quatenus sacramenta et sacra etiam sua natura, duplici ex ratione pertinent ad competentiam Ecclesiae.

Nec ipsa Ecclesia facere potest, ut aliter fiat, cum hoc ius munusque Ecclesia habeat ex positiva ordinatione Christi. Faciliter explicatur haec voluntas Dvini Ecclesiae Fundatoris, cum consideramus tum finem primarium matrimonii, tum finem Ecclesiae. Matrimonium institutum est ad haeredes regni Dei procreandos, Ecclesia vero ad monstrandam viam in hoc regnum. Non negamus multum societatis quoque civilis hic interesse, nam ex matrimonio nascuntur cives status, hic tanem revocamus principium: quae sunt ordinis superioris et iam determinata sunt a competenti societate, societas inferior iis non potest contradicere, sed si eadem necessaria sunt ad proprium finem, potest ea propria lege sancire atque ad eorum executionem cooperari[78]). Matrimonia vero baptisatorum ab Ecclesia iam sunt ordinata, omnis disciplina determinata; consequenter statui civili iam non licet leges de hac re ferre sine respectu ad leges Ecclesiae. Potest vero, in quantum boni publici interest, propriis legibus cooperare,

---

[78]) Cappello. Summa Iuris Publici Eccles., pg. 68.

ut determinata a lege ecclesiastica observentur. Repugnat enim idem obiectum indivisibile sub eodem respectu pertinere ad duos ab alterutro independentes. Aut obiectum debet esse divisibile, quod non verificatur in matrimonio, aut idem obiectum debet dependere sub diverso respectu, quod idem non verificatur inspecta lege civili de hac re, aut denique praetendentes in idem obiectum et sub eodem respectu debent esse invicem dependentes, quod nec Ecclesia, nec status admittunt. Nec satis est explicite non contradicere legibus Ecclesiae. Cum Ecclesia sit societas necessaria ex iure divino positivo, fideles non possunt esse indiferentes erga eius leges. Idem quoque dicendum est de statu. A potiori status non habet aut officium aut ius favere individuis malae voluntatis renuentibus se submittere disciplinae Ecclesiae. Ecclesia, quatenus societas perfecta et unica in suo ordine, habet ius et officium exigendi, ut eius membra adhibeant omnia media necessaria ad suum finem integre assequendum. At quis potest negare unum ex his mediis coniunctis vinculo matrimoniali esse vitam in familia rite ordinatam. Ad urgendam observationem suorum praeceptorum Ecclesia non adhibet media physica, sed moralia — inobedientes peccant moraliter, omnes vero favetnes vel cooperantes huic inobedientiae cooperantur in aliena malitia. Eiusdem malitiae particeps fit et status, cum propriis legibus favet omnibus nollentibus se submitere disciplinae Ecclesiae quoad matrimonia[79]). Negantibus vero matrimonium esse medium ad finem Ecclesiae et hominum, respondimu: non esse medium omnibus. Non esse medium his, qui in matrimonio vivunt, distinguimus: non esse medium directum seu immediatum, petitur probatio; non esse indirectum, negatur. Ecclesia autem habet ius media etiam indirecta proponendi et determinandi modum, quo ipsa adhibenda sunt[80]).

Lege autem matrimonii civilis obligatori omnia haec principia, omnia iura et omnis disciplina Ecclesiae in ordine ad matrimonia negatur, nam status civilis matrimonia inita secundum legem ecclesiasticam irrita habet, non in una regione etiam prohibet celebrare matrimonium religiosum ante matrimonium civile.

---

[79]) Cnf. Cappello. op. cit., pg. 67.
[80]) Cnf. Cappello. ibid. pg. 70 - 71.

Lege vero matrimonii civilis facultaviti vel subsidiarii reiciuntur fundamentalia principia doctrinae et iuris Ecclesiae, nominatim vero:

a) vel naturalis sanctitas matrimonii, vel exclusiva competentia Ecclesiae in res sanctas et religiosas;

b) sacramentalis dignitas omnis contractus matrimonialis baptisatorum (can. 1012);

c) ius divinum et canonicum (can. 1016);

d) exclusiva competentia Ecclesiae declarandi impedimenta iuris naturae statuendique impedimenta iuris ecclesiastici (can. 1038);

e) exclusiva potestas Romani Pontificis haec impedimenta abrogandi, iis derogandi, super iis dispensandi (can. 1040);

f) omnia, quae statuuntur iure canonico de forma matrimoniorum (C. J. C. L. III, p. I, c. VI);

g) obligatio parentum curandi de prolis religiosa educatione (can. 1113);

h) saepe explicite, semper vero sua natura matrimonii indissolubilitas (can. 1118);

i) ius Ecclesiae ipsae a Christo concessum, de quo in can. 1119 - 1120.

j) ius Ecclesiae in causis separationis coniugum (C. J. C. c. X, a. II);

k) ius exclusivum Ecclesiae iudicandi causas matrimoniales fidelium (can. 1960).

Denique per quamcumque formam matrimonii civilis status inimicissimum se exhibet erga Ecclesiam. Exemplum sumimus ab ipso statu civili. Omnibus clarum est, quantum detrimenti affert unus status alteri, cum unus favet adiuvatque inobedientes, inimicos, revolutionarios, proditores cives alterius status. In tali casu dicitur unus status insultare ordini, vel etiam ipsi existentiae alterius status. A pari status civilis insultat, quamvis non existentiae, nam ad hoc incapax est, sed ordini Ecclesiae, cum per matrimonium civile incitat omnes rebelles contra disciplinam Ecclesiae se opponendi et non obtemperandi legibus, quibus ipsi tenentur.

His omnibus simul consideratis clare apparet, quam neffanda est lex matrimonii civilis pro baptisatis relate ad naturam, obligationes atque iura Ecclesiae.

ARTICULUS III

MATRIMONIUM CIVILE BAPTISATORUM RELATE AD RATIONES, QUAE PRO IPSO AFFERUNTUR

Nunc aestimandus est valor singularum rationum, quae adducuntur a civilistis pro matrimonio civili. Ex proffesso hic non considerabimus harum rationum fundamentum philosophicum, vel theologicum. Cum omnibus falsis doctrinis, tum philosophicis, tum theologicis ex proffesso respondetur a theologis et philosophis, hic tantum data necessitate reminiscemur unum aliudve certum a theologis vel philosophis probatum principium.

Directe respondemus rationibus s. d. modernis adductis in fine prioris partis. Indirecte autem respondetur etiam ceteris a nobis ommissis.

Ad l-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod matrimonium etiam statui sit negotium magni momenti?

Non negamus matrimonia et familias etiam statui esse magni momenti. Res tamen non est exageranda. Cum homo habeat duplicis generis negotia-spiritualia et materialia duplexque forum, cui haec negotia competunt, status nullum ius habet omnia negotia vitae humanae sibi soli vindicare. Immo vero pluribus principiis iam supra enumeratis innixi hic respondemus non esse verum negotia matrimonii et familiae statui esse maioris momenti, quam Ecclesiae.

Concedimus statum non solum posse, sed etiam debere curare de bono familiarum, errare tamen et exagerare, cum vult providere de rebus, de quibus iam provisum est et quidem tali modo, quod status nunquam capax erit similiter providendi. Sine metu iniuste aliquem offendendi clarum esse dicimus fere omnia, quae invenimus boni in legislatione civili de matrimoniis, assumpta esse ex disciplina Ecclesiae. Sed cum lagislatores civiles ex legibus Ecclesiae pauca assumpserint, multa vero parvi valoris vel etiam nova addiderint, bonos fructus huius legislationis sperare vanum est.

Hic meminisse oportet matrimonium esse institutum a Deo ad propagandum genus humanum et sic ad adimplen-

dum numerum electorum, non vero aequali modo ad alios fines. Fines enim secundarii matrimonii (uti e. g. remedium concupiscentiae) fundamentum in natura humana originali corrupta, non vero in ipsa origine matrimonii habent. Ex matrimonio nascuntur haeredes regni Dei et nec membra Ecclesiae, nec cives status causa, sed membra in Ecclesia et cives in statu, quia non homo creatur Ecclesiae, vel status causa, sed utrumque institutum est hominis causa. Ex hoc patet triplex competentia in negotia matrimonialia: naturae, Ecclesiae et status. Competentia naturae et Ecclesiae coincidit, quia Ecclesia ex divina voluntate est custos et interpres legis naturae. Cum vero status sibi vindicat ius ordinandi non solum ea, quae ad ipsum spectant, sed etiam ea, quae ad Ecclesiam pertinent, sub praetextu, quod ex matrimoniis nascuntur cives status, ille manifeste errat in principiis essentialibus de fine hominis, de competentia et officiis ipsius status. Status enim simul cum Ecclesia debet invigilare observantiae legis naturae et succurrere Ecclesiae, cum ipsa hoc succursum indiget. Sic status remanebit in limitibus propriae competentiae et satisfaciet suo officio, ad quod tenetur ex sua natura. Cum sermo fit de officio status habendi curam individuorum societatis, hoc ita intelligendum est, quod status debet habere curam individui et societatis considerando veram naturam hominis. Si sic res intelliguntur, nec sermo esse poterit de usurpatione iurium status ab Ecclesia, cum Ecclesia vindicat sibi negotia matrimonialia fidelium relinquens statui curam de solis materialibus in matrimoniis. Denique memoria revocandam esse censemus illam partem, ubi dicitur notionem status moderni postulare institutionem matrimonii civilis. Non pauci status moderni iam sunt veri appostatae a christianismo. In eorum doctrinis et legislatione non recte intelligitur natura societatis, cum ipsa spoliata est parte seu indole spirituali. Si auferemus hunc errorem ex conceptu status moderni, adducta ratio per se disparebit. Quin etiam aufferendus est; aliter enim legislatio civilis necessario tendit ad absurdum. Ut ait Suarez, de ratione legis est, ut lex sit honesta, i. e. ut sit iusta, religioni congrua et proportionata legi naturae[81]).

---

[81]) De Legibus. L. I, c. IX.

Si nunc cum his principiis comparabimus leges matrimonii civilis et hic memoriae revocatam rationem pro ipso, clarum erit ex hoc capite matrimonium civile esse inutile et iniustum.

Ad 2-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod status, cum habeat curam boni publici, non possit negligere curam familiae atque matrimonii.

Omnino concedimus statum ex sua natura esse ad bonum societatis procurandum, item familiam (addimus — bonam) esse fundamentum societatis. Negamus tamen Ecclesiam sibi arripere quod statui debetur.

Officium, ius competentiaque status est habere curam boni materialis communitatis. Ecclesia haec sibi non vindicat nisi in casu impotentiae vel negligentiae status.

Cum vero dicimus finem status esse bonum societatis, hoc bonum est rationabiliter intelligendum. Status enim debet procurare societati sub specie boni verum bonum, non autem sub specie boni malum. Verum bonum non est quodcumque figmentum perversae imaginationis vel pravae voluntatis, quamvis illo maior vel notabilis pars civium infecta sit. Recte iam Cicero dicebat: „Ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura: nam ni ita esset beati quoque opinione essent: quo quid dici potest stultius... sed perturbat nos opinionum varietas hominumque dissensio“ (De Legibus. L. I, c. 17). Verum bonum illud est, quod est conforme legi superiori, quod est conforme naturae humanae finique ultimo individui ac totius societatis. Omnia, quae proponuntur sub specie boni, sed non sunt conformia supraenumeratis, sua natura vergunt in damnum societatis. Proinde, uti iam pluries diximus, status curando de vero bono societatis et civium necessario debet respectum habere ad partem spiritualem et negotia spiritualia hominis. Ex hoc necessario sequitur statum non posse esse indifferentem erga characterem sacrum in matrimoniis. Gratia sacramentalis in matrimonio est necessaria, ut familia suum finem attingere possit. Cum vero illa gratia est necessaria familiae, status autem constat ex familiis, clarum est illam necessariam esse ipsi societati civili. En quare status vindicando sibi iurisdictionem exclusivam in

matrimonia, loco boni communis societati detrimentum causat. Ex hoc sequitur pro bono communi requiri non matrimonium civile, sed cooperationem Ecclesiae et status ad tuendam sanctitatem matrimonii integritatemque familiae, cum hae duae societates, quamvis curent de bono differenti, de bono tamen eorundem individuorum.

Proh dolor tamen, cum guberniis status civilis saepe partes vel saltem influxum habent personae negantes tum religionem tum conscientiam, „cura" societatis civilis de negotiis matrimonialibus attingit punctum illicitum, et si effectus talis „curae" consideramus, non potest concedi fautorum matrimonii civilis interesse ut ipsum sit bono communitatis. Illi potius amorem sui extollunt prius usque ad contemptum Dei et omnium quae Dei sunt, deinde vero etiam usque ad contemptum boni communis [82]).

Ceterum omnibus bonae voluntatis sciendum est statum, ut suum munus bene adimpleat, debere sollicitum esse non tam de iuribus, quam de obligationibus.

Ad 3-um. Num argui potest pro matrimonio civili ex eo, quod matrimonia ineantur inter cives.

Verum est matrimonium iniri inter cives; negamus tamen id fieri exclusive solummodo et primario inter cives. Primario enim, uti iam explicatum est, unusquisque christianus est haeres regni Dei, deinde membrum Ecclesiae ultimoque loco cives status. Ex eo, quod status habet curam rerum minoris momenti, quam matrimonia, non sequitur omnia pertinentia ad matrimonium competere statui. Erroneum enim esset existimare statum esse et capacem et competentem curare de omnibus rebus, quae sub sole inveniantur. Exemplum sumamus ex relationibus ipsius status cum individuis seu civibus. Dantur multae res in vita individuorum, de quibus status non curat neque curare potest, de quibus debet curare ipse civis. Sunt aliae res, de quibus curat status simulque cives obligantur de iis curare. Sunt item aliae, de quibus curat solus status individuisque in eas immisceri fas non est. Nobis denique nullum dubium, quin dentur etiam tales, de quibus neque individuis, ut civibus status, neque statui civili curare liceat. Matrimo-

---

[82]) Cnf. S. Augustinum. De civitate Dei L. XIV, 28.

nia christianorum sua natura et charactere superant capacitatem et competentiam status et propterea nihil mirum est, statui de inferioribus curanti fas non esse usurpare omnia huius institutionis negotia. Ceterum ad quid superflua sollicitudo status cum iam a superiore societate, scilicet Ecclesia huic rei satis provisum est. Nemo negat competentiam et officia status erga negotia matrimonialia, de quibus Ecclesia non curat, quales sunt e. g. negotia mere materialia, matrimonia infidelium.

Ad 4-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod matrimonium sit institutio civilis.

Admittentes competentiam status in institutiones civiles, negamus contractum matrimonialem esse institutionem mere civilem[83]). Hoc iam apparet ex iis, quae dicta sunt de differentiis inter contractum matrimonialem aliosque contractus.

Sed etiam dato, non consesso, in matrimonio contractum civilem posse iniri excluso contractu sacro, etiam in hoc casu desiderium civilistarum instituere solum matrimonium civile multoties absurda esset[84]). Gratia sacramentalis matrimonio datur ut medicina aegroto, in nostro casu — familiae aegrotae propter varias consequentias ex peccato originali. Curam vero boni publici habenti statui non licet impedire aegrotos et opus habentes medicinae quominus ea utantur, quin etiam status officium est eam suggerere atque praestare. Propterea etiam in hac hypothesi ficta status deberet curare insistereque, ut nemo esset contentus solo contractu civili sine sacramento. Recte dicit Lemaire Réné: „Il est de l'interèt d'Etat, que le mariage soi regardé comme une institution sacré, et ne se trouve pas placé par le peuple au niveau des contrats ordinaires"[85]).

Ceterum non desunt etiam inter ipsos iuris civilis doctores, qui theoriam contractus civilis vel nunquam secuti sunt vel re melius cognita eam dereliquerunt. Nonnullis iam sufficiens est unica ratio, quod iste contractus sua origine est antiquior omni iuri positivo civili[86]). Aliis, quia

---

[83]) Cnf. P. Leo XIII. Lit. Enc. Arcanum.
[84]) Perrone. op. cit. L. II, c. II — III.
[85]) Le mariage civil. Paris. 1901; pg. 150.
[86]) Renard Prierre. Le mariage civil est il un contrat. Paris. 1901, pg. 21.

inquirendo inveniunt in natura huius contractus multa superiora naturae simplicis contractus civilis. Uti dicit de Ruggiero[87]): „Il matrimonio è istitutto non solo giuridico, ma etico, sociale, politico: e tale è l'importanza sua che, la struttura stessa dell organismo sociale prende nota ed impronta dal regolamento di quella. Ne solo il diritto vi ha impresso, ma anche il costume, e la religione".

Avogadro vero, cum loquitur de iis, qui tentant matrimonii contractum reducere ad merum contractum civilem, inter alia acriter quidem, recte tamen dicta, sic se exprimit: „Costoro (impugnantes matrimonii sanctitatem) considerando nel matrimonio la parte la più grossolana — che risponde all'ufficio di natura nell' infimo dei suoi gradi, credettero di fare assai per l'onesta delle nozze se condannando il celibato, consentivano a riconoscere che l'animale uomo si devesse differenziare dall'animale bruto sol col rigettare la promiscuità, e col riconoscere nei genitori l'obligo dell'educazione non meramente fisica... come se Dio non avesse fatto l'uomo morale per altro che per renderlo più squisitamente cinico"[88]). Nec nominando ceteros potest affirmari, etiam inter doctores iuris civilis, si non numero, saltem gravitate, superare eos, qui reperiunt in matrimonio aliquid amplius praeter characterem civilem. Nec potest silentio praeteriri temeritas legislatorum civilium et civilistarum generatim. Ipsis, cum tractant de matrimonio, fas non est ignorare id apud omnes nationes a principio mundi consideratum fuisse, ut institutionem sacram, Ecclesiam hunc sacrum characterem semper acriter deffendisse. Oportet proinde legislatorem, praesertim minus instructum in quaestionibus religionis, consulere theologos, liceatne in matrimonio aliquid saecularisare, aut separare characterem religiosum a contractu. Sed nihli huius prudentiae historiae notum est[89]).

Denique a matrimonio ut contractu civili abhorret sana natura hominis. Cum duas personas usque ad contractum matrimonialem adducit non libido vel aliquae aliae vitupe-

---

[87]) Istituzioni di diritto civile italiano. vol. II, c. XIII, pg. 50, edit. 1933. Quamvis non possumus consentire cum omnibus, quae traduntur apud auctorem de matrimonio, tamen in hac editione inveniuntur nonnulla nova in favorem veritatis antea defficientia.

[88]) Op. cit. p. I, pg. 71 - 72.

[89]) Cnf. Rosmini. Filosofia di diritto. vol. 2, pg. 408.

rationis dignae rationes, sed mutuus amor proprius soli homini ut imagini Di, iam diximus illos abhorrere ab unione temporali non excludenti aliquam tertiam personam. Nec unio profana — non sanctificata illorum animos contentos facit. His omnibus possunt aplicari verba Browning dicta suae sponsae: „Si nunc nullum esset matrimonium, id nobis creandum esset[90]). Quam vera sunt hic dicta, possunt optime attestari sacerdotes magnarum urbium, apud quos iuvenes iam adulti, sed propter negligentiam parentum nondum baptisati, cum admirabili patientia praeparantur baptismati, ut postea possint religiosum matrimonium celebrare, quamvis matrimonium civile ipsis sit non solum possibile, sed etiam obligatorium[91]).

Ceterum, ut ait idem G. Reuter (ibid. pg. 46): „Respekt der Frau vor dem Manne, Ehrfurcht des Mannes vor der Frau ist noch heute alfa und omega jeder guter Ehe". Nihil autem horum inveniri in matrimonio inito civiliter possunt attestari omnes, qui in tali matrimonio vixerunt, vel vivunt. De respectu et sancta summissione in tali matrimonio nec sermo esse potest, cum illud ipsum sit signum anarchiae spiritualis et rebellio contra ordinem Dei et Ecclesiae.

Quamquam iam alibi satis demonstratum est matrimonium non esse contractum civilem, hic illustrare tantum conati sumus, quam parum deceret hominem bonae voluntatis et quam periculosum esset toti communitati defendere teorias matrimonii ut contractus civilis.

Ad 5-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod status debeat satisfacere indifferentismo civium.

Haec ratio praesuponit plura falsa principia, quibus ipsa nititur:

a) hominem esse ens absolute independens, sibi ipsi sufficiens, cui procuranda sit plena libertas praesertim a „praeiudiciis" religiosis;

b) omnes religiones esse eiusdem valoris aequaliterque considerandas;

c) statum civilem debere esse indifferentem;

---

[90]) De hoc fusius et pulchre Gabriel Reuter. Das Problem der Ehe. Berlin, 1914.

[91]) Loquor ex propria experientia etsi per breve tempus acquisita in cura animarum Parisiis.

d) non omnium matrimoniis esse satis provisum ab Ecclesia;

e) satisfaciendum esse omnibus postulatis civium.

Ad quae respondemus:

a) Praeter doctrinam de homine, quae potest invenirii in unoquoque manuali apologeticae christianae, hic simpliciter memoriae revocamus frustra sic extolli hominem, cum omnibus expertum sit tam parum sibimetipsis sufficere. Fautores absolutismi hominis sub praetextu boni spoliant hominem necessariis verae eius dignitati, sicuti serpens pro inobedientia promittens honores deorum intrudit hominem in labores et dolores[92]).

Posita existentia Dei ut veritate certa, non est dubium, quin favere atheis ut atheis civitati nullum officium sit, et cum sermo est de necessitate matrimonii civilis pro ipsis, liceat respondere verbis iuristae laici: „Noi abbiamo gia indicato, che un vero ateo essendo un mostro morale non sarebbe in realtà capace di matrimonio non potrebbe altro volere nè fare che concubinati di voluttà, o unione di reproduzione, poichè non considerebbe nella sua mente alle condizioni essenziali al vincolo del matrimonio. Se vi consente e si unisce ad altra persona affezione maritale egli smentisce implicitamente al suo ateismo, perche mostra di credere a un ideale superiore, a un dovere e a un vincolo coniugale. L'ateo non è che un ribelle alla religione“[93]). Fusius de hac quaestione sermo erit in responso ad sextam rationem.

b) Simpliciter negamus omnes religiones esse eiusdem valoris aequaliterque considerandas et rimittimus ad manualia apologeticae.

Item neganda est theoria indifferentismi status. Omissis ceteris rationibus abundanter traditis apud auctores philosophiae moralis et Iuris Publici hic revocamus in mentem civilistarum unum dilemma: Deus aut est aut non est. Si est, status, sicuti et individua erga Illum eo ipso etiam erga veram religionem indifferens esse non potest. Si autem non est, status erga nullam religionem indifferens esse potest. Principia enim religiosa maximum influxum exercent in vi-

---

[92]) Cnf. Donat. Ethica, pg. 49.
Perrone. op. cit. L. I, s. II, c. IV, a. 1.

[93] Avogadro. op. cit. p. II, pg. 346.

tam tam privatam, quam publicam et, si Deus non existit, haec omnia principia sunt falsa, homines versantur in gravi errore, in praeiudiciis, in plena ignorantia. Atqui status est curare de cultura et instructione civium. Ex hoc sequitur strictum munus status eradicandi ex mentibus civium hos errores et unicuique statui necessario tendendum est ad idem, quamquam mediis humanioribus, ad quod nunc tendit, sub respectu ad religionem, v. g. Foedus rerum publicarum Russiae. Proinde iam ex hoc clarum est statum in utraque hypothesi indifferentem esse non posse.

d) Civilistae, qui existimant non satis esse provisum ab Ecclesia omnium hominum matrimoniis, accusandi sunt ignorantiae status rerum. Quantum provisum est matrimoniis catholicorum, satis est aperire Codicem Iuris Canonici. Cum acatholicis omnibus Ecclesia dispensat super legibus, quae ipsis odiosae esse posunt. Matrimonia infidelium relinquuntur competentiae status. Proinde de aliquo ligamine odioso legis disciplinaris alicuius religionis hic nec sermo esse potest, quia lex ecclesiastica ligat solos catholicos, cum acatholicis dispensat, reliquos omnino non ligat. Omnes aliae religiones suis legibus neminem ligant, quia carent debito fundamento, sunt inventa hominum. Ecclesia proinde neminem privat matrimoniis et sic statui nullum praetextum praebet introducendi matrimonium civile. Ad evitandum periculum anarchiae in vita familiari, quae oriri potest ex varietate religionum, matrimonium civile est remedium non solum superfluum, sed etiam detrimentosum. Est superfluum, nam sine matrimonio civili status habet et ius et officium invigilandi matrimoniis infidelium ut ipsa sint conformia legi naturae, item habet ius coërcendi baptisatos, non tamen invita Ecclesia, quando illi non obtemperantes Ecclesiae ledunt leges ipsos obligantes. Est detrimentosum, nam ista lex vel esset contraria saltem pluribus religionibus et tunc disparet affirmatus indifferentismus status, vel relinquens libertatem omnibus et tunc approbaret periculum anarchiae vitae familiaris, a qua sese defendere vult.

Sermo potest esse solmmodo de necessitate matrimonii civilis pro catholicis nolentibus submitti legi ecclesiasticae. Sed hic opportet reminisci iam dicta in cap. 1⁰ et 2⁰ huius partis; praeterea addimus tali lege violari conscientiam ho-

minis, nam quid faciendum sit in casu, si initur matrimonium civile invalidum secundum legem Ecclesiae et una pars gratia mota vult vel matrimonium religiosum inire, quod recusat altera pars, vel derelinquere alteram partem, cum qua ipsi cohabitare non licet, lex vero civilis separari non permittit?

, Denique vita magistra licet concludere melius esse matrimonium religiosum quodcumque, quam unionem profanam.

Ad 6-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod cives postulent, ut matrimonium civile introducatur.

Praeter modo dicta respondemus rationem pro matrimonio civili ex desiderio civium subvertere fundamentalia principia, quibus inniti debet omnis lex.

De ratione enim legis est, ut propter bonum commune ferratur. Boni communis causa ferri potest lex vergens in detrimentum alicuius privatae personae, sed non vice versa. Finis intentus a lege debes esse efficere cives bonos, non autem satisfacere placitis civium[94]). Item si quis princeps status vult aestimari, uti potestatem a Deo habens, debet ipse respectum habere eorum, quae divina sunt, „neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas; cum ad commune omnium bonum constituta sit“[95]). Quid vero prodest bono communi ex obtemperantia huic desiderio civium, iam vidimus in responso ad secundam matrimonii civilis fautorum rationem, cetera vero videbimus, cum sermo erit de effectibus ex matrimonio civili.

Ceterum cum ministro iustitiae Prussiae V. Rampetz liceat interrogare civilistas: „Si parum praebemus attentionis protestationibus credentium, quaere tam soliciti sumus succurrere paucis individuis vilipendentibis tum religionem, tum moralitatem“[96]).

Iterum, undenam deducunt fautores matrimonii civilis officium et ius gubernii status civilis praebendi possibilitatem inire matrimonium omnibus rebellis contra leges Ecclesiae? Quare status tam parum sollicitus est vel omnino non curat de his, qui non possint inire matrimonium paupertatis causa? Numquid religionis et Ecclesiae tam parum interest

---

94) Conf. Suarez. De Legibus. L. I, c. VII, XIII.
95) Lit. Enc. „Immortale Dei“.
96) Archiv. für Kat. Kirchenrecht. t. 29, pg. 324.

status, ut ipse per fas et nefas velit satisfacere placita individuorum nolentium submitti disciplinae Ecclesiae? Numquid status debet inservire perversioni civium?[97]) „Hominum mentes imprimis debent germana Christi de matrimonio doctrina illuminari; deinde christiani coniuges, interiore Dei gratia infirmas voluntates roborante, omnem suam cogitandi agendique rationem ad purissimam illam Christi legem componant oportet, unde veram sibi ac familiae suae beatitudinem et pacem nanciscantur“[98]).

Cocedimus de hoc curandum esse pastoribus animarum. Tamen etiamsi status non habet onus docendi cives catechismum, qui statui praesunt, eum ignorare non possunt et si cives eiusdem ignari sunt, eos, qui ipsis praesunt, gnaros esse oportet et, si cives ex ignorantia aliquid illiciti petunt, illis explicandum est, quid et quare sit licitum et quid illicitum. Sed falsum est matrimonium civile introductum esse ad beneplacitum civium, cum fere ubique haec institutio introducta fuit contra voluntatem maioris et sanioris partis civium[99]).

Denique etiamsi verum esset cives postulare matrimonium civile, quia talis institutio est contra naturam matrimonii, contra ius Ecclesiae, quod est supra leges civiles, status, obtemperando desideriis contradicentium legi superiori, a fortiori deberet obtemperare omnibus contradicentibus legi civili, quod etiam secundum civilistas esset absurdum.

Ad 7-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod omnimoda securitas familiae et bonum prolis postulet matrimonium civile.

Praeter ea, quae iam dicta sunt de natura et charactere religioso matrimonii, et praeter iam dicta ad 3, 4, 5 hic sequentia notanda sunt.

a) Non negamus status esse curam socialem civilem. In iis vero, quae spectant ad puritatem et sanitatem moralem familiae, status nec plene competens, nec solus sufficiens est de his curare. Tum theoretice tum experientia constat moralitatem et sanitatem matrimonii magis proficere, si haec ordinantur ab Ecclesia. Iam sine ulla speciali inquisitione omnibus patet, quo perventum sit cum moralitate et sanitate

[97]) Krupavičius. Civilės sutuoktuvės. pg. 36.
[98]) Lit. Enc. „Casti Connubii“.
[99]) Exempla vide apud Gabba. I due matrimoni. pg. 4-5, 11-13.

familiae in regionibus habentibus matrimonium civile. Quis ignorat munus parentum esse grave et valde onerosum. Audemus affirmare, coniugibus sine religione hoc munus esse insupportabile. Omnibus vero consulentibus reddere maternitatem et prolis educationem honorificam et etiam materialiter fructuosam, respondemus cum Leconte: „c'est une plaisanterie"[100]). Profana existimatio, succursus materialis hic parum prodesse possunt, cum per matrimonium civile subtrahatur familiae fundamentum religiosum, atque eo ipso subtrahitur id, quod unice capax est reddendi munus familiae supportabile, immo, ut pulchre ait P. Leo XIII „ea (officia coniugum) coniugibus bonis ob virtutem, quae sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iucunda"[101]).

b) Quod attinet vero indigentias materiales et tutelam maternitatis, iterum dicimus nullam esse necessitatem matrimonii civilis, nam etiam sine eo illi, quorum interest, habent plurima media cognoscendi quaenam matres egent auxilio vel tutela. Immo per matrimonium civile, quod iam per se supponit defectum timoratae conscientiae in civibus, aperitur porta fraudi abusuique.

c) Quoad capacitatem vero succurendi familiis indigentibus auxilio agnoscimus et civilistarum memoriae revocamus statum debere plus curae habere de hoc quam Ecclecia, cum hoc directe spectet ad munus status[102]). Tamen etiam quoad hoc non est extollenda capacitas status nec minuenda merita Ecclesiae, nam, uti experientia constat, etiam in regionibus matrimonium civile obligatorium habentibus Ecclesiam saepe per charitatem christianam plus succurere familiis in egestate versantibus, quam statum civilem propriis legibus pulchre quidem sonantibus, sed non semel paucos consolantibus.

d) Item quoad sanctiones pro integritae familiae Ecclesia gloriari potest sua doctrina se capaciorem exhibere ad fidem et integritatem familiae, quam statum propriis legibus poenalibus.

e) Iis vero, qui affirmant absentiam matimonii civilis esse causam concubinatus, illegitimae prolis, quae sine prop-

[100]) L'assistance Nat. aux mères. Projet de loi. Pris 1910.
[101]) Lit. Enc. „Arcanum"...
[102]) Cnf. Litt. Enc. „Casti Connubii".

ria culpa non omnia iura legitimorum possedit, respondemus studium abolendi concubinatum ope matrimonii civilis esse idem ac expellendi daemonem per Beelsebub. Inter catholicos enim ipsum matrimonium civile est concubinatus. Ceterum cum introductione matrimonii civilis ubique inevitabiliter multiplicatur cohabitatio sine ullo matrimonio. Spreto enim matrimonio religioso mox spernitur etiam matrimonium civile (liceat dicere — etiam ab ipsis officialibus status, qui aliis hoc matrimonium imponunt).

Matrimonium civile non minuit, sed auget illegitime nascentes, cum omnes nati extra matrimonium ratum, tam in foro iuris naturae, quam in foro iuris canonici remanent illegitimi, non obstante contraria dispositione legis civilis.

Nec damnum infert Ecclesia ellegitime natis non agnoscendo ipsis iura legitimorum, cum illi ex natura carent his iuribus. „Et ideo non dicimus quod sit poena alicui quod non succedit in regno aliquo, per hoc quod non sit filius regis. Et similiter non est poena, quod alicui, qui non est legitimus, non debeantur ea quae sunt legitimorum filiorum“[103]).

Si vero status necessarie vult illegitimos pares facere legitimis in iuribus pure saecularibus, ommissa existimatione valoris talis desiderii, ad hoc sufficit lex civilis concedens quomodocumque natis aequalia iura civilia. Minime vero ex hoc argui potest pro matrimonio civili.

Immo haec ratio pro matrimonio civili desumpta ex bono prolis huic proli multa et gravia mala affert. Matrimonium enim civile impedit conceptionem prolis, conceptam occidit, natam privat iure primario prolis — ipsi ex natura debita religiosa et morali educatione.

Ad 8-um. An potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod impossibie sit permanere in limitibus severae disciplinae religionis catholicae.

Hic adducta ratio directe propugnat necessitatem divortii et indirecte necessitatem matrimonii civilis.

Cum tratare ex professo de valore divortii excedit limites huius operis, respondemus breviter perniciositatem et irrationabilitaem divortii sub respectu tum morali, tum sociali satis iam probatam esse ab ipsis civilistis, praesertim

[103]) Suplem. Q. LXVIII, art. II ad 1-um.

Italiae, qui etiam propugnantes necessitatem matrimonii civilis clare illustrant absurditatem divortii. Item non desunt codices civiles permittentes matrimonium civile prohibentes autem divortia v. g. Cod. Civ. Italiae. Non negamus in tali legislatione clarum esse saltem nobis defectum consequentiae logicae, illa tamen consequentia omnibus bonae voluntatis apparet tam absurda, quod civilistae Italiae concessis praemisis deducere etiam consequens ausi non sunt.

Hic breviter memoria revocandum est: a) Matrimonium esse ex natura non in bonum individui, sed in bonum totius generis humani. Nec dicas paucas exceptiones urgente gravi causa non infirmare bonum publicum. In nostro casu enim „paucae exceptiones" est theoria omnino abstracta, in praxi vero porta semel aperta amplius non clauditur et transitus remanet liber omnibus.

b) Ut non est contra naturam hominis continentia perfecta extra matrimonium, ita eadem non est contra naturam etiam in matrimonio; ut non est contra naturam et ideam matrimonii continentia temporalis tempore pregnationis vel longi morbi unius partis (quod non negant etiam fautores divortii), ita etiam in casu impotentiae subsequentis, morbi insanabilis etc. Quantum vero potest voluntas humana, satis est hoc memoria tenere: bruta vivunt secundum naturam sequentes instinctum, homo vero — sequens rationem et voluntatem. Homo obtemperans solummodo propriae sensualitati semper evadit peior brutis. Sed in homine sensualitati limites ponit ratio et fides, voluntas autem illos limites observat. Concedimus voluntatem privatam mediis supernaturalibus esse incapacem semper remanere in limitibus sibi debitis. Voluntas tamen adiuta his mediis supernaturalibus est capax ad hoc. Ex his intelligitur quantum est meritum civilistarum spoliantium matrimonium gratia sacramentali[104]). Quis proinde audeat affirmare matrimonium civile atque divortia esse remedium contra crimina, cum omnino contrarium patet. Ceterum status non est favere individuis perversae voluntatis, sed eos corrigere. Bismarck, inimicus Ecclesiae, innixus experientia aquisita in sua patria contradicit civilistis, cum ait: „Non credo legislationis esse negligere,

[104]) Clemens IV. Ep. ad Regem Aragoniae, 1266, 13 cal. martii. Item non ma, sed pulchre apud Dermine. op. cit. pg. 25 - 26.

quod sanctum est; immo vero credo, ipsius esse efficere ut vita publica in omnibus fulcimento fidei et benedictionibus religionis firmiter utatur, non ut fucimen istud adest, tamquam rem quandam inutilem publice reiciat et aestimationem Ecclesiae atque institutorum religiosorum, ubi firmas radices in populi vita egerunt ita supplantet"[105]).

Ad 9-um. Num potest Ecclesia accusari punire innocentes et potestne ex hoc argui pro matrimonio civili.

Haec ratio est contraria iam antea allatae sub n. 5⁰, ubi invocatur argumentum libertatis conscientiae, et desumpta est ex doctrina Erasmi, Lutheri, Calvini et aliorum haereticorum. Praeter iam dicta ad 5-um et 8-um hic addimus ex locis Sacrae Scripturae, invocatis ab adversariis (Deutr. XXIV; Math. V), honestatem divortii posse deduci solummodo erronee haec loca interpretando.

Item Ecclesia prohibens divortia neminem punit, nam Ecclesia invigilat disciplinae de hac re iam statutae a lege naturae et a Christo. Nec recte dicitur puniri aliquis si privatur v. g. iuribus matrimonialibus sine propria culpa. Nunquid potest dici civem punitum esse a statu, si ipsum, privatum propriis bonis propter aliquam calamitatem, prohibet furtum facere, vel rapere aliena bona? Proinde hic convenit adagium — nemo privandus usu proprii iuris, nisi subsit proportionata causa, non vero — nemo puniendus sine culpa.

Cum vero ne status quidem mutare possit, quod est stabilitum lege superiore, etiam ex hoc argumento nulla sequitur ratio pro matrimonio civili.

Ad 10-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod omnimodum bonum postulet divortium ac proinde matrimonium civile.

Generaliter loquendo contra hanc rationem valent omnia, quae afferuntur a variis auctoribus contra divortia. In specie vero partim iam habetur responsum ex dictis ad argumentum pro matrimonio civili propter bonum commune.

Ad affirmationem vero, prohibitionem divortii esse contra ius naturae, cum in nonnullis casibus haec prohibitio

[105]) Hammerstein S. J. De Ecclesia et statu. pg. 1[illegible]

evadit nimis dura, habetur responsum in dictis ad praecedens. Concedimus dari revera non semel in vita casus vere dolorosos, qui tamen nullo modo possunt esse ratio sufficiens ad evertendum ordinem naturae. Ceterum ad ipsos quoque casus, qui afferruntur ad monstranda, ut aiunt, mala ex absentia divortii recte dicit R. de Ruggiero[106]) ista motiva „sono in parte falsi, in parte artificiosamente esagerati, e nel loro insieme rivelano una visione unilaterale e spesso **troppo passionale del gravissimo** problema".

Causa vero malorum, qui revera non deficiunt, est non matrimonium religiosum, neque absentia matrimonii civilis vel divortii, sed defectus educationis debitae, quae danda est iuventuti in familia et in schola. Ut recte ait Louis Faran[107]), „les dames ont augmenté le nombre de leurs robes, de leurs chapeaux et de leur train de maison, elles ne peuvent plus payer les prix... d'une institutrice". In scholis vero: „nuos voyons leurs enfants pousser leur instruction d'une facon surprenante; c'est le progrès, mais c'est aussi l'erreur... L'on ne songe pas assez, que l'instruction sans l'education devient une arme dangereuse entre les mains inexpérimentéés et debiles". Hic dicta esse vera, exemplo est Italia, ubi existente matrimonio civili facultativo, cum progressu religiosae educationis civium matrimonia civilia atque simul familiae quaerentes divortia in dies minuuntur.

Iterum omnibus notum est dari multos falso concipientes tum bonum individui, tum bonum commune. Illi qui curam boni publici gerunt, debent caute examinare, quid faciendum cum elemento quaerenti divortia, matrimonia civilia etc. Radix huius desiderii est egoismus. Individua vero egoismo et vitiis servientia nec matrimonio civili nec divortiis contenti erunt. Divortia ipsis paucum prodesse possunt, quia cum ipsis nemo capax erit cohabitandi.

Denique inter separationem, quae potest locum habere etiam in matrimonio religioso, et divortium est ista differentia, quod separantur ut socientur, divortia vero quaerunt, ut insociabiles fiant[108]). Separatio imperfecta utramque partem impedit a quaerenda separatione, reddit partes et cau-

---

[106]) Istitut. di diritto Civ. t. II, pg. 169 - 173. edit. 1933.
[107]) Le mariage. Paris 1909, pg. 45, 49.
[108]) Cnf. Card. Billot. op. cit. Thes. XLII.

tiores et patientiores; matrimonium vero civile cum spe divortii, ut ait idem R. de Ruggiero[109]), „renderebbe necessariamente meno ponderate le nozze, piu facili i matrimoni affrettati ed inconsiderati, piu proclivi i coniugi a mantenere ed accrescere i dissensi e i dissapori interni".

Ad 11-um. Num revera disciplina Ecclesiae sit causa mali spiritualis.

Sermo est, ut patet, de matrimonio catcolicorum. Imprimis licet sine ullo dubio affirmare perpaucos inveniri inter catholicos in sacramentum matrimonii non credentes illudque in contractu matrimoniali positive excludentes, cum omnis homo indole humana nondum privatus, cum init matrimonium, velit ipsum inire tale, quale in se est.

Si quis tamen revera esset tam perversus, ut intenderet contubernium loco matrimonii, eius malitiae causa non est Ecclesia, neque ecclesiastica disciplina.

Nec potest hic iuvare matrimonium civile, nam quomodocumque tentatum matrimonium exclusis eius essentialibus proprietatibus secumferet eandem malitiam et careret suo effectu.

Propterea ex allato argumento pro matrimonio civili nulla ratio deduci potest.

Ad 12-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod disciplina Ecclesiae ob graves rationes negligi possit.

Non est verum characterem sanctum matrimonii fuisse ignotum apud hebraeos (in lege mosaica); item non est verum Ecclesiam introduxisse matrimonium religiosum exemplo Romanorum. De his iam alibi dictum est. Concedimus tamen formam religiosam matrimonii usque ad Tridentinum non fuisse necessariam ad valorem, sed in memoriam redigimus adversarios eam fuisse necessariam ad liceitatem semperque fuisse in usu. Non fuit vero ab initio necessaria ad valorem, cum vel Ecclesia non iudicavit hoc esse necessarium vel etiam non posset hoc facere ob difficultates externas.

Gravitas vero legis iudicatur non a subditis, nec a legislatore alterius fori, sed ab eo qui legem tulit. Lex mutabilis

---

109) Op. cit. pg. 173.

(quales sunt omnes leges humanae) non est idem ac lex, quae negligi potest. Denique non est in competentia status mutare leges Ecclesiae, vel de iis cum aliquo dispensare.

Ad 13-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod nec ipsa Ecclesia semper insistat formae religiosae matrimonii.

Ad normam Canonum 1098, 1099 § 2, nonnulli non tenentur forma communi matrimonii, quia Ecclesia ab hac forma dispensat.

Nullus Summorum Pontificium nec Theologiae vel Juris Canonici Doctorum unquam existimavit aequaliter matrimonium religiosum et civile[110]).

Papa Pius XI in Concordato cum regno Italiae non aequiparat matrimonio religioso matrimonium civile, sed recuperat matrimonio religioso debita iura civilia, quae antea iniuste ipsi negabantur.

Quod vero in concordatibus matrimonium civile non excluditur, praeter rationem ipsis civilistis notam addimus quod sequitur: in nullo concordatorum obligari gubernium civile, ut prohibet propagationem falsae religionis, blasphemias, crimina, ex hoc tamen nemo deducere potest haec ab Ecclesia permitti.

Cetera vero patent ex responso ad praecedens.

Ad 14-um. Num potest argui pro matrimonio civili ex eo, quod matrimonium civile sit postulatum status moderni.

Quamquam nolumus insultare temporibus aut statibus modernis, tamen, proh dolor, debemus concedere in statibus modernis et temporibus modernis, cum tam alta voce gloriatur progressu culturae, multa inveniri barbara et nefanda. Fere iam abolita formali servitute eius loco habemus organi-

---

[110]) Cnf. e. g. P. Benedicti XIV Lit. Apost. ad Ep. Belgiae Paulum-Simon, 1769, septembr. 17.
P. Pius IX ad regem Emanuelem 1852, septemb. 19.
P. Pius IX allocutio 1859, septemb. 27.
P. Leo XIII Lit. Apost. ad Episcopos prov. Venetiae, 1893, februar. 8 reliq. pag. seq.
P. Pius X. Epistola ad Episcopos Boliciae 1906, novembr. 24.
P. Pius XI. Litt. Enc. „Casti Connubii".
S. Poenitentiaria. Occasione imtroductionis martimonii civilis obligatorii in Italia: 1866, ianuarii 15.

satum nec satis a guberniis civilibus impeditum raptum et mercaturam puellarum; in nonnullis regionibus gubernium civile coactum est diplomatice tractare cum latronibus et homicidis; recens bellum et crisis oeconomica causas habent in hominibus et temporibus modernis; reticito statu matrimoniali in Russia atque inter protestantes Germaniae, apud liberales Galliae iam in proverbium venit sententia quod „en France on ne se marie plus“.

Ecce nonnulla ex statibus modernis. Numquid haec omnia introducenda sunt etiam alibi, ubi adhuc deficiunt? Nec potest probari matrimonium civile non esse eiusdem generis. Quid ergo sequitur ex argumento illud inveniri in statibus modernis? Respondemus iam dictis a Cicerone: „Jamvero illud stultissimum existimare omnia iusta esse, quae scita sunt in populorum institutis aut legibus... Quod si populorum iussis, si principum decretis... iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterari, ius testamentum falsum supponere“. (Cicero. De Legibus L. I, c. 15, 16).

Concludimus: argumentum allatum pro matrimonio civili ex eo, quod haec institutio habeatur in pluribus statibus modernis, per se nullum valorem habere. Ea, quae inveniuntur in statibus modernis, tantum valent, quantum in se sunt bona vel mala.

*

* *

Agnoscimus quidem in hoc articulo non omnes rationes esse enumeratas, quae nunc adducuntur a fautoribus matrimonii civilis, nec ad omnes directe responsum esse. Denuo tamen affirmamus civilistas hodiernos pro sua institutione nullam novam rationem invenisse praeter eas, quae iam a saeculis repetantur et ad quas iam multifariam responsum datum est. Modernae haec rationes a civilistis considerantur ut novae, ob ignorantiam. Gloriantes sua scientia, ignorant proprios praedecessores, eorum errores antiquos repetunt ut propria inventa et, quae sunt iam longe inveterata, existimant esse moderna. Item ex ignorantia, defectu studii atque ex odio erga doctrinam Ecclesiae illi ignorant quoque responsa data ad errores antiquos ac proinde etiam ad multos hodiernos. Quaerunt responsa et pervertunt doctrinam Ecclesiae, quia huius doctrinae ignari sunt. Ut verbis praeclari

Avogadro utar, nostri adversarii moderni... col dar mano a un trattato di teologia o di gius canonico approvato dalla Chiesa, si torrebbero dalla vergogna del mostrare che spesso fanno di non sapere come stano le cose fra i cattolici, e cosa questi tengono per certo, per dubio, per falso... parrebbe non potere piu elevarsi le dispute sostanziali fra cattolici intorno al matrimonio e alle basi razionali del diritto matrimoniale; non dovrebbe restare altra battallia che coi communisti e socialisti, che non tornano gia agli errori dei protestanti e dei loro figliali, ma a quelli dei panteisti, degli eresiarchi piu laidi dei primi secoli, e degli anabattisti tentanti a svellere dal mondo morale la nuziale instituzione“ (op. cit. p. XI).

Et revera inter oppugnatores matrimonii invenimus non paucos, qui neque communistae, neque socialistae sunt, sed homines bonae voluntatis, ipsi tamen impugnant, quod non cognoscunt. Quam vera propterea sunt verba Carlyle: „The one enemy we have in this universe is darknis of mind“.

ARTICULUS IV

MATRIMONIUM CIVILE RELATE AD EFFECTUS NECESSARIO EX IPSO SEQUENTIBUS

Cum ex fructibus cognoscatur arbor, remanet iam examinandi sequellas matrimonii civilis, ut eo melius atque verius possit iudicari volor huius institutionis.

a) **Divortia.** Uti iam diximus in responsione ad 4-um in capite praecedenti, matrimonium civile nititur eo, quod matrimonium est contractus profanus civilis. Ex hoc vero iam sequitur hunc contractum dissolvi posse ab iis, qui eum inierint et quidem toties, quoties ipsis placeret, quod aequivalet unioni liberae, nam admisso ipso principio dissolutionis nemo potest circumscribere nec tempus, nec numerum, quando et quoties haec dissolutio fieri possit[111]). Et revera ex regionibus, in quibus viget matrimonium civile, perpaucae sunt divortio privatae. In regionibus, in quibus divortia permittuntur, dificiliter impeditur propagatio unionis liberae, in regionibus vero, in quibus habetur matrimo-

[111]) Cnf. Perrone. op. cit. L. I, s. II, c. I, a. 2.

nium civile sine divortiis, dificiliter defenditur unitas matrimonialis. Quod praxim vero spectat, cum longum sit — hoc etiam non est necesse — tradere hic statisticas divortiorum singularum regionum, tradimus pauca, illustrationis gratia, ex regione Galliae et St. U. Americae Septentrionalis et quidem non ex temporibus postbellicis.

In Gallia:

Annus	Separationes	Divortia	Utrorumque summa
1884	2821	1657	4478
1885	2122	4123	6245
1886	2206	4005	6221
1887	1896	4797	7693
1888	1694	5482	7176
1889	1653	6249	7902
1890	1570	6557	8127
1891	1536	6431	7167
1892	1597	7035	8632
1893	1620	6937	8557
1894	1820	7893	9713
1895	1833	7700	9523
1896	1957	7879	9836
1897	1982	7999	9981
1898	2164	8100	10264
1899	2254	8042	10296
1900	2263	7820	10083
1901	2260	8841	11101
1902	2281	9431	11712
1903	2320	10186	12506
1904	2290	10860	13150
1905	2238	11860	13098
1906	2316	11588	13904
1907	2249	12575	14824
1908	2165	13301	15466
1909	2359	13872	16231
1910	2004	14261	16661
1911	2404	15261	17665
1912	2705	16723	19428
1913	2466	16335	18801

Numerum separationum et divortiorum consulto separatim tradimus ad respondendum iterum atquae iterum iis, qui impugnant separationem corporalem, quae existit in disciplina Ecclesiae, quique dicunt matrimonio civili has separationes minui. Praeterea animadvertendum est proportionem augmenti separationum et divortiorum longe superare proportionem augmenti numeri matrimonium[112]).

Augmentum divortiorum in Statibus Americae Septentrionalis breviter sic illustrari potest:

Anno 1870 fuerunt 9937 divortia, anno autem 1921 iam 148. 554. Ab anno 1870 usque ad annum 1921 numerus civium auctus est 183%, divortiorum vero — 1250% [113]).

Generaliter vero pro omnibus regionibus admittentibus divortium notandum est recentioribus temporibus divortiorum numerum usque ad incredibile excrevisse. Cum perdita existimatione religiosa matrimonii magis magisque in dies vilipenditur etiam matrimonium civile neque desunt loca, ubi civile matrimonium ineunt solummodo celebraturi matrimonium religiosum. Alii vero nullum matrimonium agnoscunt.

Ex his apparet, quomodo matrimonium civile cum theorethice tum in praxi faveat divortiis atque patet quare id fiat; nam ipsi auctores et fautores matrimonii civilis primario divortia prae oculis habent et si quando illa non introducunt, hoc fit vel propter nonnullas dificultates, quae illo momento superare non possunt, vel ob defectum audaciae. Ubi vero divortium lege non permittitur, nec ipsum matrimonium civile multos asseclas habet.

Quid a priori existimandum est de indole familiae ortae ex matrimonio civili

b) **Coniuges.** Etiam abstrahendo a ceteris, quae sequuntur ex matrimonio, ut proles, inter ipsos coniuges summi momenti est mutuus amor, mutuus respectus atque studium, ne hic amor extinguatur, ne unus alteri molestus fiat. Hi enim affectus fovent incundamque reddunt unionem dura-

---

[112]) Tabula desumpta ex Paul Bureau op. cit. pg. 89.
[113]) Holveck. Das Ziwileherecht des Burg. Gesetsbuchs.

turam usque ad mortem, raro tamen locum habent inter homines privatos remediis spiritualibus. In matrimonio — sacramento coniugibus auxilio praesto est gratia sacramentalis, de cuius valore liceat in memoriam reducere, quae traduntur apud Card. Lepicier (op. cit. pg. 53...) ex Monsabré[114]): „Depuis que le Christ a sanctifié le mariage, la grace perfection amour. Elle le rend sage. Elle lui apprend, que rien n'est parfait ici-bas, que l'infinie bonté de Dieu est le seul idéal capable de contenter un coeur avid de perfection: que lorsqu'on n'a pas tout ce que l'on voudrait aimer, il faut aimer ce que l'on a.

Elle (la grace) pourifie les yeux de la nature, rend supportables les disgraces, touchantes les infirmités, aimable la veillesse et les cheveux blancs. La grace rend l'amour patiant. Elle l'affermit contre le brusque de ceux qui ont echapé à sa pénétration. La grace rend l'amour juste et misericordieux. Elle lui persuade aisement que, si nous avons a souffrir, nous faisons souffrir nous — mêmes, et que, dans la vie à deux, plus que partout ailleurs, il faut metre en pratique cette maxime evangelique: „Portez les fardeaux les uns des autres". A la place de reproches, elle suggère des excusations, des encouragements, aimables corrections; elle incline les coeurs qu'elle attendrit à de faciles pardons. Enfin la grace rend l'amour fidele au devoir; elle le lui fait voir dans un jour éclatant que ne peuvent obscurcir les nuages de la fantaisie, du caprice, de l'illusion et du mensonge, et lui fait trouver dans la constance un honneur et des joies dont il remercie Dieu si fidèle, lui, même vers ceux qu'ils outragent".

Nihil horum invenies inter personas unitas civilis matrimonii vinculo. Vanum enim esset affirmare eundem esse mutuum amorem respectumque profanum et suffultum ideis religiosis, gratiaque sacramentali. Item in vanum quaeretur illa caritas semper disposita ignoscendi deffectus alterius consortis, illa attentio, ne unus alteri molestus evadat. Haec omnia locum cedunt continuo periculo vel saltem possibilitati dissolutionis vinculi; ex hoc vero psychologice iam sequitur deffectus attentionis, ne quo modo unus alterum of-

---

114) L'exposition du Dogme catholique. La sainteté du mariage.

fendat, ne vita communis molesta fiat, cum in his casibus praesto sit remedium divortium. Ex hoc ulterius sequitur continua suspicio partium, iudicia temeraria saepeque defectus fidei matrimonialis atque alia delicta.

Religio, quae in familia religiose educata mutue fovetur, ut optima medicina contra omnia mala, in unione civili mutue supprimitur, nam aliter conscientia falsam pacem perturbat et reclamat iura religionis, despecta a viventibus in unione civili. Suppressa vero religione et conscientia in familia per se sequitur negligentia legum moralitatis, defectus a primario fine matrimonii, cum partes viventes in unione, quae nec veri matrimonii nomine potest appellari, vel non audent prolem procreate, vel procreatam non sunt capaces nec apti debito modo educare. Haec omnia abstracte considerando indolem unionis civilis dicimus. Si autem vitam realem inspiciemus, videbimus omnia haec revera esse secuta.

c) **Mulier.** Civilistae callide proclimantes aequalitatem iurium inter viros et mulieres propagando doctrinas pulchre sonantes auribus incapacibus detegere veritatem, per institutionem matrimonii civilis, mulierem iterum reduxerunt in statum servilem iam suppressum per religionem in regionibus christianis. In unione enim civili imprimis negatur mulieri ius et desiderium ipsi a natura datum procreandi prolem, paulatim vero modus inordinatus vitae etiam spoliat mulierem cum hoc desiderio ipsi soli proprio tum eius teneritate aliisque donis a natura datis et sic in muliere, praeter corpus defloratum, spoliatum sua pristina singulari pulchritudine, nihil remanet eorum, quibus mulier superabat omnes visibiles creaturas. Denique ipsa dimittitur propter aliquam causam a proprio marito malitiose inventam, nam maritus invenit aliam iuniorem, pulchriorem, adhuc minus depravatam atque aptiorem satisfacere propriae libidini.

d) **Proles.** Si vero bonum prolis considerabimus, etiam videbimus, quam funestae pro ipsa sint consequentiae ex matrimonio civili.

Non semel iam diximus indissolubilitatem et fidem matrimonialem partium ex ipsa natura matrimonii civilis sonare ut absurdum et, si qua inter partes nondum separatas servatur, hoc fit non propter rationem altiorem, sed propter imminentem scandalum. Praeterea quamvis in vita communi,

sed privata omni charactere superiore, nulla efficax ratio remanet, quod partes ad procreandam prolem moveat. E contra imminens cura, abnegatio sui ipsius et respansabilitas contrarium suggerunt, remedia omnis generis publice pretio minimo et sine ullo periculo proponuntur, commendanturque, quorum ope omni luxuriae satisfieri potest sine ullo periculo conceptionis. Et revera quot familiae sine prole, quot nationes in dies diminuuntur nec quisquam hominum humanis mediis capax est hoc impedire. Usque adhuc frustra invocatum est et semper in vanum invocabitur sensus patriotismi, necessitas, sustinendi et regenerandi propriam nationem, regenerandi seipsum. Haec omnia possunt iuvare usquedum turba verbo excitata incipiet ratiocinare, sed non ultra, si enim in homine, in vita familiari, in humano genere nihil habetur praeter naturam animalem, a politicis hodiernis adhibita argumenta quemnam sensum habent? Quid est patriotismus, quid natio, quid sibi vult seipsum regenerare cum tanta abnegatione suiipsius necessaria in educanda prole? Ad haec omnia sufficienter respodet Brunetiére cum dicit: „un buffle n'est pas sacré, un troupeau de buffles ne l'est davantage: mon existence terrestre vaut celle des autres et je n'en ai point de rehange“[115]).

Verum est quidem non omnes familias ortas ex matrimonio civili carere porle. Proles tamen nata ex tali matrimonio privatur multis et garvibus, quae proli ex iure naturae debetur.

Quamquam alibi falsas doctrinas propagat, veritatem tamen enuntiat Elen Key[116]) cum dicit infantem opus habere hilaris societatis fratrum et sororum, quorum locum tenere est incapax etiam affectuosissimus amor maternus. Ubi vero haec inveniri possunt in familia privata charactere religioso? Hic loco fratrum et sororum infans socios habet canem vel felem.

Ulterius, infans iam ex natura indiget non qualicumque, cura genitorum, sed tenero et sancto amore, qui ne concipi quidem potest, nisi parentes existiment infantem non esse effectum causarum mere naturalium, sed esse creaturam

---

[115]) Apud Paul Bureau. op. cit. pg. 543.
[116]) L'amore e il matrimonio.

ipsis a Deo datam, quae ad Deum iterum perducenda sit[117]). Proinde per se patet hunc amorem erga prolem in familia ex civili matrimonio nullum locum habere posse.

Ut infans evadat perfectus verusque homo, uti debet esse, indiget cura particulari et educatione morali, intellectuali atque religiosa.

Ut certum ab omnibus habetur ad haec omnia genitores esse incapaces sine auxilio gratiae supernaturalis. Undenam vero haec gratia potest haberi in familia ex matrimonio civili? Ipsum enim matrimonium civile excludens matrimonium sacramentale eo ipso excludit gratiam sacramentalem. Excludit characterem religiosum in vita, nam hoc matrimonium est negatio religionis, ipsa vita non est consentanea postulatis religionis, proles procreatur modo non consentaneo postulatis religionis — omnia simul sunt continua rebellio contra Deum, religionem, Ecclesiam.

e) **Integra familia.** Cum ita res se habet in matrimonio civili sub respectu ad personas tali matrimonio coniuctas et ad prolem, quid dicendum de familia, quae ex his personis componitur? Ipsa non gaudet omnibus familiae membris necessaria stabilitate, quam securam facit religio familiis debito modo formatis. A nullo eorum nec a genitoribus, nec a prole propria societas - familia consideratur ut sancta, nam talis familia creata est et perseverat non ut aliquid sanctum, sed ut societas omnino profana. Proles nunquam considerabit proprios genitores ut vices Dei relate ad se gerentes, cum optime sciat eorum familiam ortam esse spreto Deo et omnibus, quae sunt Dei. Quomodo autem aexistimabunt genitores suam prolem sanctam, sibi a Deo datam, cum optime consciunt eam procreatam esse modo contrario voluntati divinae. Vita familiaris secum affert multas et graves sollicitudines ac difficultates, perpetuam et omnimodam etsi mutuam dependentiam. Haec omnia non semel difficulter supportantur etiam a partibus optimae indolis et gratia supernaturali adiutis. Quomodo vero haec possint supportari in societate profana, privata auxilio superiori? His omnibus consideratis omnino non miramur abominabilem statum vitae familiaris in nonnullis regionibus. Et nisi abolita erit haec

---

[117]) Cnf. Litt. Enc. Casti Connubii; Perone. op. et Loc. cit. a. 5.

a nonnullis guberniis civilibus legalisata profanatio institutionis divinae, sperandum manet non auxilium gratiae supernaturalis, sed iustitia et ira Dei. Familia debito modo formata est fundamentum et pignus prosperitatis communis. Quid vero sperari potest ex societate orta ex unione civili, quae vix speciem familiae prae se fert, quae destituta gratia, et quocumque charactere sacro fit vel turpis cohabitatio inter duos sine prole, vel seminarium malorum, cum procreat prolem neque eam debito modo educat.

f) **Societas.** „Talis est civitas, quales sunt familiae et homines ex quibus ea constat, ut corpus ex membris“[118]). Proinde clarum est quantum intersit status, ut sit optima conditio familiae, quantique valet illi familia religiose educata. Ut dicit Hugon O. P.[119]), sacramenta sunt ut vincula, quibus membra Ecclesiae in unum corpus colligantur. Sacramentum matrimonii est vinculum inter familias eas non solummodo uniens pluribus vinculis, sed sanctificans et dirigens eadem via, eodem fine, eadem disciplina. En quare ex his familiis, quae oriuntur ex matrimonio sacramentali, possumus et debemus sperare bonum tam ipsius familiae, quam societatis et in illis quaerere salutem atque prosperitatem rei publicae.

Quid vero potest sperare civitas ex matrimonio civili. Iam diximus pauca de prole, familiisque ortis ex matrimonio civili. Illae sunt membra ex quibus constat totum corpus - civitas. Ex corruptis vero membris nec corpus sanum fieri potest. Liceat adhuc nonnulla adiungere. Si verbis S. Augustini utar[120]), omnis, qui ex concubitu nascitur, caro est peccati. Illi sunt filii non gratiae et amoris sanctificati per gratiam, sed filii luxuriae, quae etiam in ipsis dominabitur. Luxuria vero, ut ait S. Thomas (2, 2ae, q. CLIII, 4) est vitium capitale, ex quo naturaliter procedunt cecitas mentis, temeritas, inconstantia, egoismus, odium Dei, affectus erga praesens saeculum hororque futuri atque alia vitia.

Quid vero sperari potest ex civitate, cum per cives ipsa affligitur his vitiis? Incredulis talis modus loquendi risum

---

118) Litt. Enc. Casti Connubii.
119) De Sacramentis. art. I, p. 2, ed. 1927.
120) De nuptiis et concupiscentia. L; I, c. 12.

movet, quid tamen habemus in civitatibus habentibus matrimonium civile cum divortiis et aliis postulatis logicis? Anarchiam hodiernam familiarum in nonnullis regionibus praedixit iam Papa Leo XIII in sua Encyclica „Arcanum“. Si olim vera fuerunt, quanto magis hodie vera sunt eiusdem S. Pontificis verba: „Et iam hac potissimum de causa desolatione desolatam terram revera cernimus, ibi maxime, ubi magis contemptae habentur Ecclesiae de matrimonio leges“. Nos non dubitamus, quin necesse sit magnam partem hodiernae anarchiae attribui matrimonio civili, cum ipsum repleverit terram prole cuius conceptio, partus ac vita non erat secundum solitum ordinem naturae, sed potius rebellio contra naturam Auctoremque naturae. Sic concepta et nata ipsa remanet fidelis perturbator recti ordinis naturae. Crescente eiusdem prolis numero magis magisque diffunditur atheismus atque corruptio morum, resuscitatur iam olim derelictus paganismus, ex ipsis oriuntur fallaciae, fraudes, insidiae tam inter singulos cives, quam inter nationes atque ita castigatur totum genus humanum. Cum numerus hominum huiusmodi generis in nonnullis regionibus in singulos dies augeatur, nemo potest negare in vita adhuc peiora spectari posse. Societas potest resistere malis dummodo observat mandata divina: relicta vero sine Deo celeri passu contendit ad perniciem. Inimici Dei et societatis in matrimonio civili optimum remedium invenerunt, quo a nonnullis Deus spernitur, ab aliis vero propter neglegtum legum Dei et Ecclesiae ipse se retrahit[121]).

Item per familias formatas ex unione civili directe subvertuntur civitatis fundamenta. Civitas enim sine capite, cui cives respectum et obedientiam praestare debent, ne concipi quidem potest. Quam firmum est auctoritatis civilis fundamentum illud principium: „Omnis potestas a Deo est“. Per familias ex civili unione supprimitur respectus erga Deum, eo ipso etiam respectus erga eos, qui suam potestatem a Deo ducunt et sic legislatores quamvis nollentes, sed directe praeparant subversionem status et, si ipsi ut status subversores non accusantur, hoc fit propterea, quia vel se superiores non

---

[121]) Cnf. S. August. Ep. ad Marcellinum.
Perrone. op. cit. L. I, s. II, c. III, a. 2, 3.

habent, vel ipsi hoc faciunt bona voluntate ex propria ignorantia, vel populus hoc satis non considerat.

Consideratis omnibus consequentiis matrimonii civilis omnibus, qui bona voluntate defendunt hanc institutionem, revocamus in mentes verba Sacrae Scripturae: „Est via quae videtur homini iusta, novissima autem eius deducuntur ad mortem“ (Prov. XIV, 12).

Iam ipsi civilistae sociologi atque politici liberales satis vident, ubi reducta sit hodierna vita familiaris. Ut olim Jonas profeta ninivitis, ita hodie ipsi alta voce admonent societatem de imminenti degenerationis et exitialis anarchiae periculo, sed quaenam apta media ad salvandum genus humanum ab hac anarchia proponenda sint nesciunt. De argumentis ex bono communi moralitateque naturali iam diximus; hic afferrimus tantum responsum ipsis datum a iurista laico Paul Bureau: „Cependant à tous ces hommes et à toutes ces femmes, tenaillés dans leur chaire, angoissés dons leur âme, la ponsé laique ne peut offrir aucun argument valable, serieux, résistant, que la plus sommaire critique ne souffise à éliminer en un instant. Elle est reduite à balbutier quelques grands mots, auxquels elle-méme elle ne croit plus guére, par ce qu'il était en vérité impossible d'y croire plus longtemps et que la science méme s'est chargée d'en dissourdre le contenu“[122]).

Conclusio. Nullum dubium est, nam ipsa vita docet, quin vitia contra moralitatem peccata sint non solummodo contra Deum, sed contra societatem, contra ordinem politicum, praesertim quando haec vitia iuribus civilibus innixa evertunt ipsam societatem civilem. Cum ita res se habeat, gubernium civile non debet esse indifferens erga talem rerum statum, nam ipsum profecto existit ad servandum ordinem moralem publicum. Status civilis proinde ipse debet praevenire istis malis supprimendo causas eorum. Ad hoc tamen sola lex civilis, saltem his temporibus, iam non sufficit. Optima enim lex, lata ab optimo legislatore paulum valet, si mens et voluntas civium est perversa. Ut ait Taine: „Chaque fois que l'homme se fait paien il se retrouve voluptieux et dure“. Nec sola formatio scientifica profana aliquid prodest.

---

[122]) Op. cit. pg. 542.

Nonne systemata falsae philosophiae formaverunt tam multos paganos in hodierna societate? Ut ait G. Rocco de hodierna scientia: „in una medesima disciplina ne avviene, che tutto insieme neppure vanno d'accordo fra loro medesime. Le morali contrastano colle sociali, i fatti colle idee, le lettere colle scienze, il bello col vero... Per la qual cosa per la mancanza dei principi veri questa medesima gioventu allorche lascia gli Atenei n'esce confusa nella mente senza sapere a cui dar la ragione; se all' Ateismo, al Deismo, al Panteismo, al Fatalismo o alla Filosofia della creazione. Non, sa se il mondo non ha avuto mai principio e non avrà mai fine"[123]). Tum ordo moralis, socialis atque politicus, tum etiam scientia debet habere et inniti fundamento certo, firmo ac immutabili. Sine quo omnes theoriae, leges, argumenta remanent vana verba. Talia autem fundamenta nec Ethica nec scientia pure laica-profana habet, habet autem religio. Sine ulteriore explicatione hic insistimus in necessitatem monstrandi populo integraeque societati humanae influxum, quem exercet religio in purificandis moribus, in vitam familiae, in vitam totius societatis. Nihil est, quod possit in vita tam individui, quam societatis vices religionis supplere. Ut recte ait idem Paul Bureau" toute étique purement humaine reste l'esclave de la loi, et ethique scientifique n'est que l'exposé scientifique de cet esclavage. Que peut-elle faire? Elle parle a l'homme des nécessités sociales, la religion lui parle de sa personnalité à lui de son origine superiéure, des forces profondement cachées de son étre spirituel, elle reveille en lui le désir d'une liberté complette, lui présente cette liberté dans sa perfection rayonante et lui montre l'action morale comme la voie qui conduit a cette perfection; voila ce que c'est que le fondement religieux de la morale. Notre morale (laique) ressemble, au dire de Jean Paul, à une chaussée bien utile, bien large, bien sûre, qu'on fait traverser le pays tout en deboisant les bois sacrés de la religion. Mais au fur et à mesure que ces bois sacrés seront déboissés, leur importance pratique pour l'organisation morale de la société humaine se fera de nouveau sentir, et on comprendra que le mond moderne n'a rien pour les remplacer"[124]).

---

[123]) Op. cit. pg. 43, 44.
[124]) Op. cit. pg. 555.

Ex his elucet munus status civilis erga familiam. Familiam esse fundamentum societatis civilis eiusque characterem ac indolem esse societati rem maximi momenti est thesis non solum civilistarum, sed etiam eorum, qui defendunt matrimonium religiosum. Quae cum ita sint, quid ex hoc concludi potest pro nostro argumento i. e. pro matrimonio civili? Iam vidimus omnimodam inconsequentiam huius institutionis, vidimus item unicam viam ad tollendam anarchiam hodiernam esse reformationem societatis secundum principia religiosa. Quae reformatio incipienda est ante omnia in familia. In ipsa ergo familia renovandus est character religiosus reddendumque familiae id, quod ab ea ablatum est cum maximo dammo ipsius familiae totiusque societatis. Concludimus — status tenetur non promovere, sed ne tolerare quidem sic dicta matrimonia civilia. Tollerando hanc institutionem status peccat contra leges naturae, peccat contra leges Ecclesiae et iura civium, peccat etiam contra ipsam societatem, nam subvertit fundamenta eiusdem; ipse status civilis fit inimicus societatis de cius bono ex natura sua curare debet.

Restauranda est familia religiosa et matrimonia secundum leges Ecclesiae[125]). Status debet relinquere curae Ecclesiae, quae ad Ecclesiam pertinent. Immiscens se in negotia matrimonialia et familiaria status civilis, uti vidimus, monstravit se omnino ineptum esse, ut harum rerum curam haberet. Hoc factum est propterea, quod civilistae vel ex ignorantia vel ex mala voluntate sibi adiudicarant, quae ad ipsos non pretinent, nec pertinere possunt; in curanda re, quae sua natura status civilis tum competentiam, tum capacitatem superat, civilistae consequenter debuerunt pervertere ipsam notionem rei, quod revera et fecerunt.

Ut clarius pateat non solos catholicos, sed etiam omnes, qui rem animo ab omni partium studio alieno considerant, animadvertere errorem, quem status introducendo matrimonium civile committat, liceat hic adducere excerpta litterarum protestantis von Savigny Professoris in universitate Berolinensi gubernio Pedemontano. Gubernium hoc enim anno 1853 consilium a Professore von Savigny petiit, quid

---

[125]) Litt. Enc. „Casti Connubii".

ipsi videtur de matrimonio civili, an et sub quanam specie introducendum sit in regione Pedemontana hac institutione tunc temporis carenti. Ad quod Professor von Savigny inter cetera respondit: „Termini, quibus interrogatio concepta est, in affirmativum videntur inclinare responsum; innuere videntur, matrimonium civile in eam viam progressum esse, quam providentia praefixerit homini, ut perfectioni appropinquaret. Bis mihi fuit occasio disserendi de matrimonio: in tractatu scilicet de iure Romano et in dissertatione de legibus Borussiae reformandis... Exposui ibi principium, matrimonii naturam eam esse, quae ex diversis componatur elementis, quorum primum et praecipuum est elementum morale et religiosum; contra, in matrimonio civili nonnisi elementum iuridicum agnoscitur et urgetur, elementum autem morale et religiosum ignoratur, negligitur et singulorum relinquitur arbitrio, unde necessario sequitur degeneratio matrimonii...

Napoleonis I temporibus principia negantia et destruentia multo minus agebant et dominabant quam nunc. Si matrimonium civile in terram, in qua nondum receptum est, hodie introduxeritis, multi erunt, qui cum gaudio id recipient, non addito actu religioso: alii, ex levitate et vanitate, alii, quia principia christiana maximo habent odio.

Ex altera parte matrimonium civile natura sua necessario ad admittendum divortium illimitatum perducit; nam si rem ex parte iustitiae consideres, non multum obici potest contra hoc, quod matrimonium simpliciter ex voluntate coniugum separatur: obstat solummodo altius principium morale religiosum. Si istae res novae constanter executioni mandantur, si magna populi pars matrimonium sine actu religioso contrahit, si separatio plus minusve arbitrio coniugum reliquitur, mox eo perventum erit, ut limes inter matrimonium et concubinatum non iam assignari poterit. Tunc familia dissolvitur.

Notum mihi est ex foliis publicis esse apud vos graves conflictus inter partem catholicam et liberalem. Fortasse dicetur me ad matrimonium principium catholicum applicasse, omnemque, qui non prorsus se subicere velit principio catholico, sententiam, quam ego defendam, omnino debere reicere. Ad quae respondeo, me esse Protestantem atque in

natura matrimonii diiudicanda me non a principio catholico, sed a consideratione rei prorsus universali profectum esse. Si ergo mea de natura matrimonii sententia et sequellae inde deductae magna ex parte cum doctrinis respondentibus Ecclesiae catholicae concordat, hoc argumentum erit, sententiam, quam exposui, ex intima persuasione mea, non vero ex partium quocumque studio fluere"[126]).

Absolvimus iam considerationem de valore matrimonii civilis nec de munere status civilis in hac re fusius loqui opus esse existimamus.

In conclusione huius dissertationis credo non fore supervacaneum addere pauca, quae non ius, sed potius Theologiam pastoralem spectant.

Catholici, praesertim vero pastores animarum, matrimonii sanctitati non minus debent invigilare, quam religioni, aut saluti animarum. In vanum sunt omnes labores, missiones paroeciales, catechisatio atque reliqua cura pastoralis, ubi familiae sunt spiritualiter desolatae. Quam saepe autem contingit in regionibus matrimonium civile habentibus etiam catholicos et quidem non pessimos uniri inter se solo matrimonio civili. Hoc fit potius ex ignorantia quam ex militia: ignorant enim veram naturam tum matrimonii civilis, tum matrimonii religiosi. Adhuc saepius hoc accidit in casibus matrimonii mixti. Etiam illi, qui post matrimonium obligatorium civile celebrant matrimonium religiosum, obligationem praestandi mutuum consensum matrimonialem coram officiali civili non existimare ut gravem iniuriam illatam sacramento matrimonii, Ecclesiae, ipsis contrahentibus matrimonium[127]). Partes hoc nunc considerant ut officium civile nihil mali in se habens. Hic status rerum perseverare videtur propterea, quod nunc non satis explicatur essentia matrimonii religiosi et nihil dicitur de matrimonio civili.

---

[126]) Apud v. Hammerstein. De Ecclesia et statu, pg 175... Treviris, 1885.

[127]) Hic notamus Ecclesiam permisisse adire syndicos civiles non ad consensum matrimonialem exprimendum, sed civilis registrationis causa. Syndicus civilis autem consensum exquirit et **declarat** partes iam matrimonio unitas, quod est extra eius competentiam et iniuriosum pro christianis.

Hodie etiam horis catechismi pro pueris, in conventibus iuvenum, virorum ac mulierum pastores animarum aliique catholici inveniunt opportunum tempus loquendi de iure liberae organisationis catholicorum, de iure hobendi syndacatus catholicos, circulos pro exercitiis physicis (sport) etc. Matrimonium autem civile, etiam in regionibus, ubi hoc etiam catholicis est obligatorium et antecendes religiosum, non satis explicatur. Existimamus non erraturos, si dicemus familiam religiose formatam per matrimonium sacramentale maioris esse momenti, quam scholam confessionalem, quam organisationes catholicas, eo autem magis quam syndacatus, sport etc. Si vero pro his saepe tam laudabiliter et tenaciter luctatur contra agressores, quare eo fortius non impugnantur leges profanantes sanctitatem matrimonii et familiae. Pro nostro argumento habemus plures et claras Litteras Encyclicas Summorum Pontificum: Pii VIII (prima eius Encyclica), Pii IX, Leonis XIII, Pii XI. Si tamen vitam observamus, non semel animadverti potest pastores animarum scripta de hac re a Summis Pontificibus minore, quae par est, diligentia legere et quam minime studere ut nefandae leges civiles abrogentur et matrimonii sanctitas restituatur. Saepe enim timetur, ne accusent civilistae nos luctari cum statu atque societate civili. Quam accusationem carere fundamento patet ex eo, quod leges matrimonii civilis non possunt attribui aut statu ut tali, aut societati civili, sed paucis membris societatis massonicae, qui vix adepta potestate civili ubique introducunt matrimonium civile sine respectu ad voluntatem et utilitatem societatis. Impugnantes matrimonium civile non erimus adversarii aut status aut societatis civilis, sed paucorum liberalium, qui, saepe profecto, quod dolendum est, se ipsos identificant cum statu.

QUESTIONES:

1° QUID SPECTET AD ECCLESIAM ET QUID AD STATUM CIVILEM CIRCA MATRIMONIA BAPTISATORUM.

Fontes et auctores pro hac quaestione:

Fontes:

PP. Pius VI. Constitutio „Auctorem Fidei".
„ Pius VIII. Litt. Encyc. „Traditi humilitati".
„ Gregorius XVI. Litt. Encyc. „Memores".
„ Leo XIII. „ „ „Arcanum".
„ Pius XI. „ „ „Casti Connubii".

Auctores:

Schmalzgrueber.	Jus Ecclesiasticum. t. IV, p. II.
Pignatelli.	Consultationes Canonicae. t. VIII, cns. 111.
Laurenti.	Jus Canonicum. t. IV, tit. I.
Cavagnis.	Institutiones Juris Publici Ecclesiastici.
Roskovany.	Matrimonium in Ecclesia Catholica.
Wernz.	Jus Decretalium. t. IV.
Wernz-Vidal.	Jus Matrimoniale.
Cappello.	De Matrimonio.
Gasparri.	De Matrimonio.
Lepicier.	De Matrimonio.
Perrone.	De Matrimonio christiano. t. II.
De Smeet.	De Sponsalibus et Matrimonio.
Rosset.	De Sacramento Matrimonii.

Demonstrata absoluta incompetentia status civilis regendi matrimonia baptisatorum per institutionem sic dicti matrimonii civilis, qua vindicatur exclusiva competentia sta-

tus in matrimonia nihil relinquendo Ecclesiae, indicandum adhuc remanet, quae concrete in hac materia spectent ad Ecclesiam quaeque ad statum civilem.

Haec vero tradimus non per modum discussionis et demonstrationis, sed per modum summae eorum, quae docentur a Summis Pontificibus et Juris Canonici Doctoribus.

In Codice Juris Canonici de quaestione competentiae pauca et modo generali expressa inveniuntur.

In Canone 1016 dicitur: „Baptisatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem mtrimonii effectus".

De causis vero matrimonialibus haec traduntur: Can. 1960 „Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant".

Can. 1961. „Causae de effectibus mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can. 1016; sed si incidenter et accessorie, posunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri".

Ad indicandum concrete, quae veniant nomine effectuum civilium et spectent ad competentiam fori civilis, quaeque non veniant hoc nomine, et spectent ad forum Ecclesiae, omnia dividenda esse iudicavi: I⁰ in praecendentia celebrationem matrimonii, II⁰ ipsam celebrationem contractus matrimonialis, III⁰ subsequentia ex matrimonio celebrato.

I⁰ Uti in omni contractu, ita et in matrimonio imprimis diudicatur inter quos et quibus sub conditionibus illud iniri possit. Terminis Juris Canonici loquendo haec quaestio resolvitur per impedimenta dirimentia vel impedientia matrimonium. Quae vero concrete sub respectu ad impedimenta matrimonialia ad Ecclesiam quaeque ad potestatem civilem pertinent?

1⁰ Solius Ecclesiae est impedimenta dirimentia vel impedientia matrimonium statuere et super illis dispensare.

2⁰ Potestas civilis potest, non tamen invita Ecclesia, cogere cives baptizatos ad observandam hanc legem Ecclesiae.

3⁰ Potestas civilis potest recurrere ad Ecclesiam, ut ipsa sua legnslatione in hac re succurrat necessitati boni communis.

4º Potestas civilis potest ponere conditiones ante matrimonium adimplendas effectus mere civiles matrimonii non autem validitatem ipsius matrimonii spectantes: sic e. g. militaris vel diplomaticus ut in suo munere possit permanere, non potest inire matrimonium nisi cum persona conditionis aequae muneri eius, qui matrimonium vult inire.

5º Potestas civilis vero non potest dispensare super impedimentis statutis lege Ecclesiae.

6º Potestas civilis non potest **invita Ecclesia** urgere cives aliqua poena ad observandam legem Ecclesiae.

7º Potestas civilis non potest prohibere, quominus matrimonium pauperes ineant.

8º Potestas civilis non potest sterilizare, ut aiunt, infirmos, ut impotentes fiant.

9º Potestas civilis non potest dispensare super lege civili recepta in lege canonica e. g. super impedimento cognationis legalis. Haec enim lex civilis, recepta in iure canonico obligat fideles iam non vi legis civilis, sed vi legis ecclesiasticae. Lex civilis in tali casu legi ecclesiasticae suppeditat solummodo elementum materiale.

II. Si ipsam celebrationem contractus matrimonialis consideramus, hic duo attendenda sunt: forma celebrationis et adnotatio matrimonii celebrati.

1º Quod forman celebrationis matrimonii baptizatorum attinet, solius Ecclesiae est eam determinare, mutare, super ea dispensare. Status civilis in hac re est omnino incompetens et quoties in hac re leges fert, toties violat limites propriae competentiae. Nec contrarium probat, quod Ecclesia aliquando exigit vel permittit, ut lata lex civilis de hac re a fidelibus observetur. Ecclesia in his casibus urget non observationem legis per se iniustae nullumque valorem habentis, sed vult defendere cives a damnis, quae imminent ex parte potestatis civis pro neglecta ipsius lege, quamvis iniusta. Nec dicas Ecclesiam agnoscere formam matrimonii statutam a lege civili, cum ipsa agnoscit ut valida matrimonia acatholicorum celebrata modo a lege civili praescripto, nam hic respicitur non observantia formae civilis (acatholici nulla forma tenentur; Can. 1099 § 2), sed legitima manifestatio consensus contrahentium.

2° Quod vero adnotationem matrimoniorum spectat, potestas civilis hic libera est vel uti registris, quae fiunt a parocis ad normam Can. 1103, uti est e. g. in Lituania, vel obligare cives, ut ipsi de matrimonio ab ipsis inito certiorem faciant oficialem civilem. Negligentes hoc officium cives a statu puniri possunt etiam privatione effectuum mere civilium ex eorum matrimonio. Proinde matrimonium etiam non registratum ad normam legis civilis in foro civili pro valido haberi debet et quidem a momento ipsius celebrationis.

III. Si consideramus subsequentia matrimonium seu aliis verbis effectus ex matrimonio celebrato, communis Canonistarum doctrina paucis verbis exprimitur: status est ordinare effectus civiles separabiles ab ipso matrimonio. Ad determinanda vero haec concrete considerabimus separatim, quae spectant coniuges, prolem atque causas matrimoniales.

1° a) Quod coniuges spectat, exclusive est Ecclesiae declarare, quaenam mutua iura et officia oriantur inter coniuges ex matrimonio. Potestas civilis hic absolute est in competens. Potestas civilis matrimonio valido coram Ecclesia debet agnosceres omnes effectus inseparabiles a matrimonio eosque negare debet matrimonio invalido. Atque hoc lege civili sancire debet.

b) Potestatis vero civilis est determinare inter coniuges quantitatem dotis, conditiones et modum haereditatis et successionis in bona, titulos, honores. Item potestas civilis competens est privare cives officiis publicis vel privatis, haereditate vel successione in bona, honores, titulos alterius partis propter neglectas leges civiles ineundo matrimonium.

c) Potestas civilis tamen non potest ullam ob causam prohibere vel impedire coniuges generare prolem.

2° a) Quod vero prolem iam generatam spectat, potestas civilis non est competens legitimitatem natalium cognoscere, si in dubium vocatur legitimitas matrimonii parentum. In tali casu resolvere utramque quaestionem pertinet ad Ecclesiam.

Si vero quaestio legitimitatis natalium dependet a quaestione, num matrimonium de facto celebratum sit, potestas civilis potest utramque quaestionem cognoscere.

b) Potestas civilis competens est ad determinandas condiciones et modum successionis filiorum in bona, honores,

titulos parentum; item potest determinare unicuique classi civium, saltem generaliter, civilis instructionis gradum.

c) Potestas civilis ius habet etiam illegitime natis concedere iura civilia legitimorum.

d) Non habet tamen potestas civilis ius exigere, ut illegitime nati aequiparentur legitimis etiam in iure canonico.

e) Item non est potestatis civilis determinare mutua iura et relationes inter prolem et genitores.

3⁰ Si denique varias causas matrimoniales consideremus, haec principia statui possunt:

a) Cognoscere causas validitatis vel liceitatis matrimonii exclusive spectat ad Ecclesiam.

b) Cognoscere causas separationis coniugum exclusivo iure spectat ad Ecclesiam, nisi pro singulis locis et casibus aliter ab Ecclesia provisum sit. Ad Ecclesiam spectat cognoscere etiam causas criminales coniugum, quatenus hae respectum ad separationem coniugum habent.

c) Ecclesia competens est cognoscere et dirimere etiam causas de effectibus mere civilibus, quatenus hae causae simul cum aliis i. e. valoris vinculi matrimonialis, separationis coniugum proponuntur.

d) Potestatis civilis autem est agere causas de effectibus mere civilibus (dos, sustentatio in casu separationis, damna ex vinculo invalido ob culpam alterutrius provenientia etc.), dummodo in his causis incidenter non oriatur quaestio de valore vinculi matrimonialis, separationis coniugum. Secus iudex civilis ab incepta causa se abstinere debet, usquedum causa incidens ab Ecclesia resoluta erit.

e) Item potestatis civilis est tractare causas criminales coniugum quatenus vindictam pro crimine, non vero separationem coniugum spectant.

f) Potestas civilis incompetens est ad tractandas causas separationis coniugum, nisi hoc ab Ecclesia ipsi concessum est.

g) Potestas civilis absolute incompetens est ad cognoscendas causas de valore vinculi matrimonialis.

2º DE QUIBUSDAM REBUS SUIS ECCLESIA LIBERE DISPONERE VALEAT

Hic non est mihi in animo quaerere, quid in regimine matrimonii Ecclesia revocare, mutare, super quibus dispensare necnon quibus in casibus brachium saeculare invocare, sed quid statui civili cedere possit se ipsa privando suo iure.

Solvenda hac quaestione indirecte respondere intendo civilistis accusantibus Ecclesiam nimii rigoris in quaestionibus matrimonialibus. Accusant enim Ecclesiam tenaciter persistere etiam in illis rebus, quibus sine praeiudicio sanctitati et honestati matrimonii possit renuntiare in favorem iurisdictionis status civilis. Immo eam ita agere debere, cum hoc exigat modernus conceptus status eiusque compententia. Ad quae respondemus:

1º Si Ecclesiae ius statuendi impedimenta matrimonialia consideramus, Ecclesia ex duplici ratione non potest privari hoc iure in favorem status civilis.

a) Impedimenta sunt vel iuris divini vel iuris ecclesiastici. Explicare vero et declarare ius divinum, sive naturale sive positivum non est status civilis, sed Ecclesiae. Nec probari potest Ecclesiam hoc munere renuntiare vel id alteri delegare posse. Ceterum, etiamsi Ecclesia posset hoc facere, plerique status praesertim huius aetatis iam propterea incapaces essent vices Ecclesiae in hac re supplere, quod persaepe magistratus gubernii civilis ius divinum non solum ignorant, sed ne agnoscunt quidem.

b) Ecclesia etiam sibi reservando ius statuendi impedimenta matrimonialia non potest permittere, ut praeter ipsam potestas quoque civilis habeat ius constituendi impedimenta ligantia fideles vi legis civilis. In hoc enim casu status civilis haberet facultatem ponendi conditiones ad validam vel licitam susceptionem sacramenti, quod omnino absonum est etiam ipsis civilistis. Administratio sacramentorum relicta est soli Ecclesiae, nec probari potest hanc potestatem ex toto vel ex parte ab Ecclesia alteri potestati delegari posse.

Quod vero a civilistis adducuntur exempla Summos Pontifices olim concessisse potestati civili ius ferendi impedimenta matrimonialia, hoc ita est intelligendum: Ecclesiam tribuisse potestati civili facultatem declarandi, quid ipsa

existimet usui esse bono societatis in regimine matrimonii (quod etiam nunc Ecclesia non negat). Illae dispositiones vel potius declarationes potestatis civilis vim habebant non vi legis civilis, sed quia Ecclesia has dispositiones suas fecit, uti et nunc e. g. impedimentum cognationis legalis.

2⁰ Fere idem dicendum est de forma matrimonii. Verum est pro matrimonio, ut contractu sacro ex natura et ut sacramento inter baptizatos, nec ab Auctore naturae nec a Christo aliquam formam statutam esse. Iam ante probatum est hoc fieri posse ab Ecclesia, non vero a potestate civili, quia non est potestatis civilis ponere conditiones et formam ad validam vel licitam sacramentorum celebrationem.

3⁰ Idem dicendum est de effectibus matrimonii, exclusis iis, qui sunt mere civiles. Nonnulli eorum non sunt iuris ecclesiastici, sed iuris naturalis et Ecclesia habet ius atque munus eos declarandi ac defendendi, non habet vero ius eos revocandi, mutandi, eorumque regimen potestati civili cedendi.

Quoad vero effectus canonicos, Ecclesia potest eos mutare, revocare, non tamen eorum regimen potestati civili cedere.

4⁰ Denique si causas matrimoniales consideramus, hae sunt duplicis generis: de validitate ipsius matrimonii sacramenti et separationis coniugum.

a) De capacitate potestatis civilis in causis primi generis, iam potest deduci responsum ex supra dictis: cum est quaestio de valore sacramenti, huius generis causae matrimoniales spectant exclusive ad Ecclesiam; neque ipsa hoc ius et munus alteri cedere vel delegare potest.

b) De secundo genere causarum matrimonialium, quae etiam spectant ad Ecclesiam, cum hic non tangitur quaestio de valore vel liceitate sacramenti, dicendum est Ecclesiam posse committere has causas etiam potestati civili. In praxi tamen distinguendum est inter leges status civilis. Si aliquis status in sua legislatione de hac re (de separatione namque coniugum) haberet aliquid contrarium legi naturae, vel legi divinae positivae, Ecclesia in hoc casu ne causas quidem huius secundi generis cedere potest potestati civili. Secus autem, si in legislatione status civilis de hac re nihil invenitur contra ius naturae vel legem divinam positivam.

Errores corrigendi

pg.	err.	corr.
V	-historia	historica
VI	matrimonii . . .	matrimoniis
VIII	prosperitas . . .	prosperitatis
IX	matrimonis . . .	matrimoniis
XIII	Gricar	Grisar
„	competi	competenti
2	preastabat . . .	praestabat
7	narratinum . . .	narrationum
9	conclubit	concludit
11	electi	eiecti
12	sunsus	sensus
„	ideisde	ideis de
16	saesulare	saeculare
17	domnavit	damnavit
20	nono	noni
24	noc	hoc
26	solim	solum
28	didum	dictum
31	pereveniamus . .	perveniamus
„	ni	in
37	concludero . . .	concludere
45	pusuerunt . . .	posuerunt
50	favetnes	faventes
„	respondimu . . .	respondimus
„	obligatori . . .	obligatorii
60	debes	debet
„	quaere	quare
61	Cocedimus . . .	Concedimus
64	ellegitime . . .	illegitime
66	fucimen	fulcimen
67	facon	façon
69	Boliciae	Boliviae
75	proclimantes . . .	proclamantes
80	dons	dans
84	militia	malitia
85	hobendi	habendi